



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ministro Ecclesiae, Sermones III. in solennibus
cœtibus ecclesiastarum urbis & agri Tigurini**

Werdmüller, Otto

Tigvri, 1551

VD16 W 1983

urn:nbn:de:hbz:466:1-35649



si. n. de i. sporo is dies in q
liby mense speciaha noia hñ
denominat omis alij dies appof
fontibz munitibz. C. kalende
Dies inuales mensiu dñi
q̄ colende q̄ p̄ma dies cuih mensis
colat̄ antiqui i honore iunonis.
vñ d' inlub' faltoz venireat aulou
as iunonis cura kalendas. I dñe ka
lende akalo q̄ 7 uoto q̄ p̄ccos ascē
rebat locū emmētē 7 clamabat tua
ans kalo q̄ dies erāt usq̄ ad nūtri

si. n. de i. sporo is dies in q
liby mense speciaha noia hñ
denominat omis alij dies appof
fontibz munitibz. C. kalende
Dies inuales mensiu dñi
q̄ colende q̄ p̄ma dies cuih mensis
colat̄ antiqui i honore iunonis.
vñ d' inlub' faltoz venireat aulou
as iunonis cura kalendas. I dñe ka
lende akalo q̄ 7 uoto q̄ p̄ccos ascē
rebat locū emmētē 7 clamabat tua
ans kalo q̄ dies erāt usq̄ ad nūtri

Handwritten marginal notes in a cursive script, likely a commentary or gloss on the main text.

Handwritten notes at the top of the page, possibly a title or section header.

Quis fax: fabos fo
varius.

Quod librum nisi dudu
remus dato ingratos
ayo gratius, ut utinam
aliquando daretur far
tas reformidi.

~~Quis fax: fabos fo~~
~~varius.~~

Liber Thomae Haal Mon
n. 1 b 20.

Etiam quibus sunt q nos ad honorandum
sanctorum meritis, in i. Gallonibus
lib. rom. 2. Junitatis exemplum
3. Proribus subsidium

Th. 1699.

F 11

30

... ..

DE MINI

STRO ECCLESIAE, SERMO

nes III, in solennibus cœtibus ec-
clesiasticarum urbis & agri Tig-
gurini, habiti ab Othone
Vuerdmüllero.

IN his sermonibus, qua ratione mini-
stri ecclesie lumini, sali, piscatori, agricolę,
pastori, medico & matri conferantur, ex-
plicatur.

IESVS.

*Amen amen dico uobis, qui confidit mi-
hi, habet uitam eternam.*

Ioannis 6.

TIGVRI APVD FROSCHO-
VERVM, ANN. M. D. LL

0

DE MINN

PROFESSOR...
V...
...

...

THE V

...

...

MC
D

2

VIGILANTISSIMO

BASILIENSIS ECCLESIAE

Episcopo, Domino Osualdo Myconio, Domino &
patri suo plurimum colendo, Gratiam &
pacem à Deo patre per Christum
Iesum.



CVM animaduertentem à Christo unico seruatore nostro, in quo sunt omnes thesauri sapientiae ac scientiae reconditi, similitudines & parabolas adhiberi tanquam maxime idoneas ad docendum rudiores, ad excitandos auditorum animos, ad altius infigenda diuina: arbitrabar me non paruū operæpretium facturum, si quæ de ministris ecclesie similitudinis inuolucro tecta detegerem & latius explicarem. Itaque pro mea tenuitate rebus à quibus ducuntur similia perpensis, & cum ecclesiastico ministerio collatis, insuper euolutis doctissimorum uirorum commentarijs, quæ de concionatorum officio parabolice scripta reperi, magno undequaque studio collegi, & in unum quasi corpus redegei. Quoniam uero sermones de his publice recitados, aliquot fratres non solum adprobant, uerum etiam editionem urgent, itaque quidem obsequor, ut nihil mihi arrogem. Sed si, qua uti soleo, methodus laudè meretur, tibi eam uenerande pater acceptam fero, qui me plus mi-

mus decem annos à tenera etate fideliter institue-
ris, nihilq; quod ad ingenium meum pietate ling-
guarumq; & artium cognitione excolendū perti-
nere uidebatur, intermiseris. Huius diligentie ac
laboris, quem cum aliorum discipulorum, tum
mea causa immensum pertulisti, fructū certe in-
gentem percipere debebas. At quia nec parenti-
bus nec p̄ceptorib. par referri gratia potest: be-
neficiorum haud immemoris saltem iudiciū hac
mea nuncupatione dare uolui. Imaginem opti-
mi ecclesiastę, his sermonibus, uelut in tabula de-
picti, tibi meo patri peculiariter dono. Et cui poti-
us quàm tibi, qui uiuū exemplar es optimi eccle-
siastę, dedicare? Nā ex eo tempore, quo à ludo li-
terario reuocatus, in D. D. Ioan. Oecolamp. p̄-
stantis. Theologi locū diuina prouidentia susse-
ctus es, ecclesiā fidei tuę cōmissam ab errorū atq;
uiciorū cōtagio, quantum in te sitū est, p̄serua-
re, & salutifera doctrina Euāgelij gubernare, per
tot discrimina nō cessas. Quā ob causam omnes
synceri ac p̄ij uiri studiū & fidem tuā admirātur,
& dignis laudibus cōmendant. Eo nomine ego
quoq; tibi ecclesięq; Basiliensi gratulor, & ex ani-
mo dei benignitatē oro, ut administratione tua
multos adhuc in annos ecclesia fruatur. Vale for-
liciter cū matre de me bene merita. Saluū cupio
symmysiā tuum D. Ioan. Gastium, qui suo para-
bolarum libro utilissimum laborem sustinuit.
Tiguri, Anno M. D. L I.

SERMO I. DE MINI

STRO ECCLESIAE, IN SO-
lenni cœtu ecclesiasticarū urbis & agri Tigu-
rini habitus, Ianuarij XXVIII.

Anno M. D. XLIX.



BSQVE dubio mirum uidetur
uobis, patres & præceptores hono-
randi, ac fratres in domino dilecti,
quam fretus eruditione seu existi-
matione uerba facere audeam in tanta frequentia
prudentissimorum uirorum. Equidem uirium mearū
imbecillitatem agnosco, ac ingenue fateor, quod mihi
sit curta suppellex: ideoq; potius tacendum quàm di-
cendum in hac honestissima corona iudicassem. Quo-
niam uero munus hoc ab ijs est impositum, quibus re-
fragari minime licet: institui sermonem non de ludi-
cris aut inanibus rebus, sed de omnium nostrum offi-
cio, cum primis necessario. Id antea quidem sepe
pro dignitate à doctiss. uiris explicatum, sepius tamē
propter amplitudinem negotij repetendum, et in con-
spectu tenendum, si unquam aliās, hoc uel maxime
deplorato tempore, ut quia parum proficit uerbi diui-
ni prædicatio, & omnis generis malitia inualuit, nos
ea fide prouinciam nostram obeamus, ne quisquam

ECCLESIAST. LVMEN.

uel inſcitia uel negligentia noſtra perire uideatur. Cū igitur nec impudētia nec ingenij fiducia partes dicendi ſumpſerim, ſed obtemperandi ſtudio in hunc eccleſiaſticum cœtum produci me paſſus ſim: pium ſanē conatum (ſpero) nequaquam improbabitis, præſertim de omnium noſtrum functione differentis. *Sæpe* literæ de officio miniſtrorum eccleſiæ uarijs modis erudiunt, præceptis & exemplis, aperte, & figurate. Breuiter enim et perſpicue diuus Paulus omnem rem ſummatim perſtringens 1. ad Corinthios 14. ſcribit, *Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationē & exhortationem & conſolationem.* Nec deſunt exempla utriuſq; teſtamenti illuſtria, ad imitandum nobis omnibus à ſpiritu ſancto propoſita. Accedunt multe figuræ & collationes, quibus magna cum gratia & elegantia totum miniſterium adumbratur: hæc partim à rebus animatis, partim inanimatis petuntur. Inanimatis, ut lumine, ſale. Animatis & ratione præditis, ut agricola, paſtore, piſcatore, patre, matre, præceptore, œconomo, medico, architecto, legato, uigile, imperatore. Quomodo autem eccleſiaſtica functio hiſce ſimilibus quaſi oculis ſubiecta ſit, quantum per temporis anguſtiam licuerit, perſcrutari & explicare decreuimus.

*propoſitis ſunt
utrisq; ordinis*

Concionatores dicuntur lumina.

NON incommode auſpicamur à eccleſti ſimilitudine,

tudine, quā Christus dominus ipsemet protulit Matt.
5. Apostolos adpellans lumina mundi. Si quis diligen-
ter eruat, quanta mysteria sub hoc inuolucro lateant,
deprehendet quā necessarium ac utile sit hoc mini-
sterium, quānam officia cum à doctoribus tum ab au-
ditoribus requirantur, & quorum culpa obstinati ho-
mines condemnentur. Primum enim cum mundus
indigeat luminibus, utiq; sua natura tenebricosus est.
Tenebræ significant cæcitatem mentis, ignorantiam dei,
falsam doctrinam, cultum idolorum, carnis cupidita-
tes, deniq; regnum diaboli. Quemadmodum in pro-
fundis tenebris plumbum, argentum, lapides, amici,
inimici non recte sine lumine discernuntur: ita nemo
hominum de diuina uoluntate sine uerbo dei ueram
notitiam parare potest. Etiam si quis oculorum acie
non destituatur, nihil tamen efficiet, externo lumine
orbatus: ita quamuis homo bonas habeat intentiones
de deo & cultu ipsius, nisi extrinsecus à deo illumina-
tus fuerit, procul à coelo aberrabit. Porro lumen
præcipue significat deum patrem, filium, et spiritum
sanctum, dei uerbum, dei gratiam. Etenim hæc natu-
ra sua lumen sunt, & illuminant, nec istam uim ac uir-
tutem aliunde acceperunt: sed denominatione quadam
apostoli et ecclesiastæ lumina dicuntur, uidelicet splen-
dorem diuine cognitionis à deo accipientes, & de

ECCLESIAST. LUMEN,

uerbo dei, quod lucerna pedum uocatur, testificantes:
 Luci non satis est ut ipsa sit lucida, sed tenebras pellit,
 lucem affert ac intuentibus monstrat quod sit aurum,
 quod argentum aut æs: ita apostoli sinceritate uitæ et
 doctrina prælucent, tenebras errorum & scelerum
 abigunt, Euangelio mentes illustrent, ut liquido cerna-
 tur quæ dei uoluntas, quæ uera iustitia, quæ uia salua-
 tis. Quemadmodum fures & latrones splendente
 lumine nihil audent rapere: ita dum ministri suo splen-
 dore populum illustrent, & munus concreditum fide-
 liter obeunt, tum hæretici tum alij spurci homines,
 unâ cum principe tenebrarum facilius arcentur. Lu-
 cis est insuper, excitare ad egregia opera, & mœstos
 aliqua uoluptate permulcere: idem planè conuenit do-
 ctoribus, ut tardius progredientes in uia domini, hor-
 tentur, ac urgeant: & perturbatos, euangelica luce
 consolentur & exhilarent. Sicut lucerna non ad hoc
 accenditur, ut occultetur, sed super candelabrum po-
 nitur, ut luceat omnibus in domo: ita apostoli, uelut in
 theatrum totius mundi omnibus nationibus expositi
 sunt. Sicut lux ipsa communis est hero, seruo, uir-
 ro, mulieri: ita doctor ecclesiæ neutrum sexum, nullâ
 ætatem, nullam conditionem hominum negligere de-
 bet, sed & pauperum rationem habere, pueros à pri-
 mis annis instituere, breuiter quoscunq; poterit, luce
 ueritatis

ueritatis illustrare. Ex eadem similitudine patet, quænam auditorem deceant. Qui lucem intueri uolet, necessario prius à sordibus purgat oculos, alioqui beneficio lucis minime fruetur: ita uitijis animæ sordidatus, frustra audiet concionantem, nisi uere cupiat à sordibus, hoc est à flagitijs, emundari. Quicumq; uero obstinate proposuit in tenebris suorum scelerum uersari, ægre fert arguentem ministrum, sicut ululæ et noctuæ lucem oderunt, & tenebras amant. Quod igitur magna multitudo hominum impingit, cadit, ruit in exitium, haud imputandum ministro doctrina & uita prælucenti, sed ijs qui oculos habent uel uitiosos, uel clausos in meridie, uel alioqui pertinaciter in cæcitate perire malunt. Illi demum culpam præstât ecclesiæ doctores, & merito damnantur, quorum doctrina erroribus caligat, & quorû uita mundanis cupiditatibus offuscata est, adeo ut densissimis tenebris cum falsæ doctrinæ, tum improbæ uitæ, oculos subditorum excæcent magis quàm illuminent. Hactenus de lumine.

E O D E M cap. 5. Matthei, sal terræ qui & Sal. lumina mundi uocantur. Hæc allegoria peculiariter modum præscribit traducendis uitijis, & quantû damnatum oriatur ex deprauato ministerio indicat, deinde cur prædicatio uerbi tot aduersarios experiatur.

ECCLESIAST. SAL.

Primum dominus inuuit terrã, id est genus mortalium, coram deo insipidum esse, & corruptioni sempiternæ obnoxium, ideoq; opus habere cœlesti gratia ueluti sale, quo condiatur & conseruetur. Quemadmodum enim salis natura est superfluos & noxios humores carniū siccare, acrimonia sua à putredine uindicare, denique cibos omnino sapidos reddere: ita ministrorum ecclesiæ munus est, doctrina legis & Euangelij carnales cupiditates hominum astringere, sceleratam uitam acriter erodere, à uitiorum putredine ac interitu liberare, ut cœlestis uitæ saporem acquirant, & immortalitatem consequantur. Cæterū ut sal modice cibis aspersus bene condit, & magnam saporis gratiam addit, nec est quicquã tam suaue quod absq; eo gustū delectet, sed nimium admixtus cibum reddit insipidissimum: ita doctores ecclesiæ condimentum esse decet, omniaq; cum iudicio agere, ne nimia acerbitalis affectatione doctrinam sua culpa reddant inuisam. E diuerso, si sal ipse saporem acoremq; amiserit, quo salietur, inquit Christus? Ut enim sale infatuato, nec quod salendum est, nec sal ipsum aliunde saliri potest: ita, si quorum est alios Euangelij prædicatione ad studium pietatis condire destituerint, hoc est, si iusta agendi dicendiq; acrimonia careant, duo damna sequuntur. Vnum, quod hu-
mana

mani generis insipientia & corruptio non Talmuth
Iudeorum, non Alcorano Mahomedis, non philoso-
phia Ethnicorum, non pontificio iure, non ullis
humanis traditionibus corrigi potest. Alterum,
quod sal infatuatus nequit aliquo condimento qua-
cumque ratione composito condiri, ut natiuam recipiat
uim ac energiam: hoc est, si ecclesiastæ infatuati fue-
rint, non possunt ulla discipline conditura emenda-
ri ac restitui. Id etiam testatur experientia. Sæpe
numero tentata est episcoporum & sacerdotum e-
mendatio, & ordinis ecclesiastici reformatio: sed
absque omni pudore clamant, Romanorum pontifi-
cum decreta, episcopos & clericos non debere cor-
rigi à laicis. Subiungit dominus, Sal infatuatus ad
nihil ualet ultra, nisi ut proijciatur foras & con-
culcetur ab hominibus. Ceteræ res etiamsi corrup-
tantur, adhuc tamen aliquem usum præbent, ue-
luti uinum, ubi in uappam uersum fuerit, uertitur
in acetum. Arbor ubi exaruerit, fit esca ignis.
Stramen ubi computruerit, agrorum stercorationi
confert. Sal uero, necessarium alioqui condimen-
tum, infatuatus, ne ad sterquilinum quidem ad im-
pinguandum agros accommodus est. Nam si quis
de sale admisceat, sterilitatem conciliat. Ideoq; in
plateas effunditur, pedibus conculcandus: simili-

ECCLESIAST. AGRIC.

ter doctores populi cum infatuati fuerint siue per
heresin, siue per ebrietatem, scortationem, adulte-
rium, auaritiam, superbiam, reputantur à Christo
prorsum inutiles, omni honore priuandi, & quorūuis
ludibrio obijciendi. Qui igitur inique ferunt ludi-
brio haberi, & ceu sordidos bubulcos reijci, huiusmo-
di condimentum ecclesie præsent, ne suo ipsorum me-
rito contemni uideantur. Alioqui doctrina pietatis
propter acrimoniam suam inuisa est putrescentibus
hominibus. Sicut enim dum stagno & paludi sal im-
mittitur, mox omnes ranæ concitantur: ita ministris
exigentibus mortificationem ac poenitentiam, molles
& delicati perstrepunt ac tumultuantur.

Albertus
de impres-
sionibus e-
lementorū.

Conclona-
tor est agri
cola.

DEINDE Matth. cap. 13. uerbum semini,
concionator seminanti, auditores agro comparan-
tur. Nam ut sub siliqua nobile granum tegitur, et sub
minuta tunicula tam miranda latet seminis uis: ita in
scripturæ uerbis ingentia diuinæ sapientiæ mysteria
recondita habentur. Item sicut ager neglectus ue-
pres et tribulos solet producere: ita mens hominis in-
culta, uitijs sua sponte inualescentibus uelut spinis ob-
ducitur. Sedulus autem agricola spinas euellit, pur-
gat arua, iungit boues, aptat aratrum, scindit terram,
semina iacit, occat, nihil officij sui prætermittit, tan-
dem expectat ut uideat campos uirentes, & impletā
aream:

aream: non aliter ecclesiastæ sensibilem & rationa-
lem terram, id est hominum corda, coelesti doctrina
excolere, sentes uitiorum incidere, spirituale semen
spargere, in sinum animum recondere debent, ut in
regno dei messis oriatur uberrima. Terra quidem se-
mel accepto semine mox affert fructum, neq; indiget
altera satione: sed frequentius serit ecclesiastes, ut se-
mel saltem fructus proueniat. Nam quia uarijs impli-
catur anima spinis, multiq; insidiatores diripiunt se-
pina, non facile penetrant ac imprimuntur uerba
dei. Deinde tametsi germine edito & radicibus actis
seges iam sit in herba, nullus stertendi locus agricolæ
relinquitur, sed sarrire & runcare, hoc est lolium &
alias inutiles herbas uellere, auiculas procul abigere,
omnia nocuenta prohibere oportet, ut ad maturita-
tem perueniant segetes, & cum peruenerint, integræ
maneant, & à nemine ledantur: ita minister, quæ
ubertim seminauit, continuata memoria cooperiat,
omnem moueat lapidem, ne diabolus uerbum eripiat,
ne ignis persecutionis exiccet, ne spinæ diuitiarum
suffocent, sed multiformi copia uel tricesimi uel sexa-
gesimi uel centesimi numeri fructus proferantur. Ma-
gnas quidem molestias deuorat ecclesiastes, & sepe
frustratur optatis, non tamen ideo munus suum desce-
rit: sicut et agricolam sepe deterret imber ac frigidus

ECCLESIAST. AGRIC.

uentus, Et quamuis non semper respōdeat uoto pro-
 uentus, non tamen protinus ab agricolatione resilit,
 alioqui fame periremus omnes. Vt autem agricolatio
 per se non sufficit, nisi cœlum, quod terram ambit,
 imò potius qui cœlum gubernat opituletur & incre-
 mentum det: ita inaniter perstrepunt uerba absque
 interiori & diuina inspiratione, quam ardentibus
 precibus à deo flagitant pij. Iam quando ruricola se-
 getes uidet prouentu exuberantes, superiorum obli-
 uiscitur laborum & reliquum operæ maiori prom-
 ptitudine & gaudio peragit: ita profectus auditorum
 spiritualibus donis abundantium ministros exhilarat,
 atque ad maiorem concionandi sedulitatem excitat.
 Nec immerito laborum suorum fructum percipiunt,
 sicut & semen terræ mandat, lucrum affert semina-
 nanti. E contrario, si agricola post annuos sudores
 spe sua excidit, siue propter aëris intemperiem, siue
 terræ sterilitatem, siue locustarum examen, siue ru-
 biginis uitium, uacuis manibus domum regreditur,
 & pœnitet illum laboris atque sumptus incassum
 exhausti. Nos uero ab hac solitudine liberi sumus.
 Nam licet proiecto spirituali semine, ob auditorum
 uel malitiam uel ignauiam, fructum haud capiamus,
 nihilominus tamen uana spe dimissos non frustratur
 dominus, imò copiosam in cœlis mercedem reposti-

tam habemus, qui concreditum talentum fideliter expendimus, & mandatum domini pro uirili consecimus.

I N eodem Euangelio secundum Matthæum, & Piscatorum piscandi allegoria usurpatur à domino uocante apostolos hisce uerbis, Sequamini me, & faciam uos piscatores hominum. Pisces capiendi, sunt homines. Rete quo homines capiuntur, doctrina est Euangelij. Mare in quo piscandum, est præsens hoc seculum, multis tempestatibus obnoxium. Sicut rete non est abdendum in latebras, sed mittendum in mare, & integrum mittendum: ita Euangelica doctrina proponi debet integra. Væ illis, qui rete hoc uel scident uel neglexerunt, atque interea hamis & esculentis humanarum traditionum ad hanc piscationem non deputatis, utuntur. Quia dominus noster non dicit, Faciam uos piscatores Iudæorum, phariseorum, plebeiorum: sed in genere ac simpliciter, Faciam uos piscatores hominum, quisquis homo est, Euangelico piscatori ex præsentis seculi tempestuoso mari capiendus & extrahendus est. Quare pro pseudapostolis habēdi, qui neglectis pauperibus, ignobilibus, insipientibus, peccatoribus, tantū curant agunt diuitum, potentum, nobilium, iustorum. Sicut uerriculum de profundo maris uarios littori pisces

Ex Vuolfgangi Muculi Commentarijs.

ECCLESIAST. PISCAT.

adducit: ita de profundo huius seculi errore per prædicationem omnis generis homines liberandi. Qui retia iactat in aquam, nescit quos pisces comprehensurus est, sed quos deus ei transmiserit, capiuntur: sic quando diuini sermonis sagenam super populum expandit doctor, ignorat qui sint accessuri ad deum, sed quoscunq; deus excitauerit, illi adherent doctrine. Ergo sicut in piscatore peritia, studium & labor requiruntur, ut sinus ac recessus fluminum & lacuum cognoscat, cœlum diligentissime obseruet, retia in capturam pro ratione piscium moderetur, frigus horridum cōstanter ferat, tametsi plerunq; parum capiat: quando quidem illud crebro fit, ut qui per totum diem uacuum attraxit rete, sub noctem iam abitum parans, capto qui ipsum per totū sefellerat diem, pisce, abeat: ita doctorem oportet imprimis habere notitiam diuinarum rerum, & uerbi ministerium prudenter adplicare, & qualiscunq; sequatur euentus, omnes potius tempestates subire, quàm uspiam muneri suo deesse.

Mater.

IN Euangelio secundum Ioannem cap. 3. dominus adumbrat negotium per regenerationem, & apostolus Paulus ait se Corinthios in Christo Iesu per Euangelium genuisse, ac denuo parturire, donec Christus formetur in Galatis. Quæ uero mysteria sub hac allegoria recōdita, operæpretium puto cōmemorare.

Multi

Multæ quidem sunt honestæ mulieres, non tamen ideo ad pariendum idoneæ: ita non omnes Christiani facultatem concionandi sortiuntur: sicut alijs aliæ sunt longe foecundiores, ita concionatorum alij alijs plures ad deum conuertunt. Nam electum illud organum magis omnibus reliquis laborauit. Quædam mulieres concipiunt quidem, & aliquandiu uterum gerunt, sed tandem abortiunt, uel monstra pariunt: tales sunt uecordes & falsi doctores, qui uel negligenter uerbum dei tractant, uel de industria sanam doctrinam corrumpunt, & pernitiosis populum erroribus inficiunt. Sicut soboles à matre carnem & sanguinem accipit, & reliquarum corporis partium conformationem: ita Christianorum animus à pio doctore in fide Iesu Christi conformatur. Conuenit etiam modus. Mulier suscepto semine uiri creditur foetum formare: semen spirituale dicitur uerbum dei, cuius prædicatione Christiani concipiuntur, figurantur, generantur, nutriuntur. Sicut foetus in utero non proprie dicitur opus maternum: nec enim uniuersus mundus unum posset ex omnibus membris creare, nedum uiuentem & rationalem animam infundere, sine qua totum corpus & sensu & motu careret, sed est uere opus ac donum dei per matrem operantis: ita minister ecclesiæ doceat, hortetur, consoletur oportet, omnia tamen

ECCLESIAST. MATER.

frigent ac languent, nisi cœlitus externum uerbum in corde hominis uiuax & frugiferum reddatur. Sicut foetus in utero non statim perficitur & consummatur, sed per nouem menses restricto sanguine futurus homo coagulatur, corporatur, pascitur, distinguitur: ita non subito una concione per omnia Christianum absolueris, sed spirituale semen susceptum per gradus iuxta mensuram suam crescit, donec ad partum usq; perueniat, hoc est, donec fides præclare gestis exeratur. In utero quidam foetus adeo sunt uidi uigentesq; ut subinde se commoueant, & quasi sensum quendam præ se ferant. Alij torpentes, penitus immobiles, nunquam aliter sentiuntur quam timore: ita concionibus auditis alij nullum ostendunt alterius uitæ sensum, caligini huius immergi, & tanquam obruti alto gurgite. Alij intelligentia & uirtutibus innixi, iam hic quales postea futuri sunt, declarant, & gustum quendam præbent eui uenturi. Quemadmodum maternus uterus foetum non sibi, sed huic luci ac uitæ huius seculi præparat: ita concionator non sibi auditores, sed future ac sempiternæ uitæ præparat. Quemadmodum mulier nec sine magnis molestijs uterum gerit, nec sine maiori cruciatu ac dolore eruitur: ita minister ob prouinciam suam haud leues molestias, labor

I. Lodouicus Viues de ueritate Christianæ fidei.

res

res ac dolores perferet. In hanc sententiam Paulus testatur se Galatas *ὡς ἄνθρωποι*, hoc est, cum dolore parere. Nascenti fœtui deponuntur inuolucra, quibus erat tectus in utero: ita ministri fuerit ab inuolucris uitiorum liberare, quotquot præparantur futuro seculo. Baptismi quoq; D. Hieronymus meminit lib. 4. comment. in Ezechielem cap. 16. Cruenta infantium corpora (inquit) statim ut enattuntur ex utero, lauari solent: ita & generatio spiritualis, lauacro indiget salutari. Nullus enim mundus à sorde, nec si unius quidem diei fuerit uita eius. Deinde matres exactius sordes puerorum extergentes, aliquando carnem euellunt: ita dum quædam uitia nimis anxie conamur emendare, supra modum lædimus. De alimento peculiaris locus est apud Basilium de seipso hæc scribentem in Psalm. 59. Ego fratres dilectissimi, uestram hodie ad audiendum alacritatem respiciens, et meam in dicendo debilitatem considerans, quandam similitudinem pueri infantis mihi uidere uideor, qui lacte, ubere materno ob ualetudinem deficiente, prohibetur. Mater uero filij desiderium sentiens, quanquam exiccato lactis fonte, uexata tamē & manibus puerilibus pulsata, ubera qualiacunque præbet, nō tam ut infantē nutriat, quàm ut flentem sedet, & ad quietem adducat: sic itaq; & mihi

ECCLESIAST. MATER.

euenit, qui quanquam ualde sum ex hoc morbo corpore debilitatus, non consolationem uobis quidem optatam ac dignam adferam, sed copiam ac facundiam qualem possumus, prestabo. Quamobrem ingenti charitati uestrae tantum satis erit, uestrum in me desiderium sola uoce sedare. Hæc ille. Infantes recens editi, lacte quidem, postea uero solidiori cibo nutriuntur. Id concionatoribus adplicat D. Paulus Heb. 5. in hunc modum: Cum debeat pro temporis ratione doctores esse, rursus opus habetis ut doceamus uos, quæ sint elementa initij eloquiorum dei, factiq; estis ij, quibus lacte sit opus, & non solido cibo. Nam quisquis lactis est particeps, is rudis est sermonis iustitiæ, infans enim est. Porro perfectorum est solidus cibus, nempe horum, qui propter assuetudinem, sensus habent exercitatos ad discretionem boni pariter ac mali. Huc pertinet quod Lactantius de Demetriano li. 5. de iustitia, cap. 4. Sicut infans solidi ac fortis cibi capere uim non potest, ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmatis uiribus uesci fortioribus possit: ita Demetriano oportebat, quia nondum poterat capere diuina, prius humana testimonia offerri, id est, philosophorum & historicorum, ut suis potissimum refutaretur authoribus. Ne uero teneros auditorum animos nimia rerum copia

pi

pia obruamus, hisce Chrysoſtomi uerbis egregie declaratur. Mater (inquit) cum infantem lactentem parat ad ſolidum cibum adducere, ſi ſimul multum meri inſundat ori, nihil prodeſt infanti, reſendente puero quod datur, ac tuniculam qua pectus tegitur irrigante. Quod ſi ſenſim ac paulatim inſundat, puer quod traditum eſt, abſq; moleſtia tranſmittit. Proinde ne uobis idem quod traditum fuerit effluat, non ſemel uobis inſtillauimus doctrine poculum, ſed in dies aliquot partiti ſumus, paſſi uos interim hiſce diebus interquieſcere ab audiendi labore, quo ſimul & ea quæ depoſuimus, ſic inſigantur animo ueſtræ charitatis, ut excidere non poſſint, & ea quæ dicentur, ſedatis ac uegetis manibus excipiat. Cæterum ſi diutius quàm par ſit, ſugant infantes, amaritudine qua papillas inungit mater, repellit, et ad cibum ualidiorē inuitat: non aliter concionator amaris interdum obiurgationibus reuocat populum ab infantilibus rebus ad digniora & ampliora negotia. Mater non dat paruulo nucem integram, ſed frangit eam & nucleum porrigit: ſimiliter concionator quæ clauſa, hoc eſt obſcura ſunt in uerbo dei, aperire & enucleare debet, inſuper quæ copioſe diſſeruit, in epilogo ſummatim concludere. Sicut matres, quando in gremium pueri

Chryſoſtomoſ.
 mus.

ECCLESIAST. MATER.

Lib. 4. Dia-
logorum.

sius eius undiq; zona constringunt & securos faciunt: ita & nos faciamus, sermonem prolixiorum in arctum contrahentes, et in memoriae promptuario deponentes. De naturali hominum diffidentia similitudinem hanc adducit Gregorius. Si pręgnas mulier mittatur in carcerem, ibiq; puerum pariat, qui nascitur puer in carcere nutriatur & crescat, cuiq; si forte mater quę hunc genuit, solem, lunam, stellas, montes, campos, uolantes aues, currentes equos nominet, ille uero qui est in carcere natus & nutritus, nihil aliud q̄ tenebras carceris sciat, & hæc quidem esse audiat, sed quia per experimentũ nõ nouit, ueraciter esse diffidat: ita in hac exilij sui cęcitatem nati homines, dum esse summa & inuisibilia audiunt, diffidunt an uera sint, quia sola hæc infirma in quibus nati sunt, uisibilia nouerunt. Postremo sicut habitudo ac tota penitentię huius ratio ex illa in matris utero formatione & constitutione ducitur, ut tali quisque sit corpore, ualitudine, statura, uiribus, qualem in prima illa formatione accepit: sic etiam spiritalis uitę conditio plurimum ex institutione uerbi sumitur, ut animus hominis fiat sublimis, erectus, cęlestis, breuiter iuxta naturam uerbi, præclaris uirtutibus excultus. Hactenus de ijs quę similia cum matribus habeant ecclesiastę: ijdem uocari solent patres, præceptores, œconomi,

œconomi, medici, pastores, architecti, uigiles, legati, imperatores, quæ iam minime permittit angustia temporis enarrare. Videtis autem patres et fratres in domino uenerandi & dilecti, quàm uarijs modis redemptor humani generis officium nostrum indicarit, similitudinibus ductis à rebus animatis, inanimatis, à cœlestibus & terrenis. Absq; dubio non solum ut optime perspecta sit ecclesiastica prouincia, tot figuris & allegorijs delineata & depicta: sed magis etiam ut quocunq; oculos conuerteremus, ad lumen, ad agrum, ad oues, ad pisces, ad cibum, parentes, artes, obuia quæque, semper huius nostræ functionis admoneremur, semper occasio daretur in cœpto strenue pergendi. Hæc uigilantia ministrorum omnibus quidem seculis, maxime uero necessaria est hisce præsentibus, à quibus extremum iudicium filij dei non procul abesse potest. Vt enim belli rumores & reliqua signa præteream, quis piorum non horrescat audire, nedum aspicere Germaniam prius illustrẽ Euan-gelij luce, nunc eadem diuina luce miserrime spoliatam, ac denuo perniciosissimis tenebris immersam? Vbi nam illa fides & confessio Christiana? Vix unus & alter pro Christi nomine uel modicum periculum sustinet. Sicut in diebus Noë & Loth ebrietas, libido, luxus, auaritia, contemptus uerbi,

ECCLESIAST. MATER.

blasphemia, idololatria, deniq; omnis generis malitia
regnat. Nec apud nos in Heluetia melior cōditio spera
tur. Quò magis certe nos omnes oportet, symonia
ste fratresq; colendissimi, noctes ac dies inuigilare, ma
ternum affectum erga rudem populum exercere, san
ctimonia uitæ & Euangelij doctrina præluere, fidē,
charitatem, patientiam cum reliquis uirtutibus plana
tare, salem erodentem quæcunq; uitiosa ac scelerata
adhibere, nihil laborum & periculorum in hoc flu
ctuosissimo mari subterfugere, ut immensam copiam
hominum cuiusq; ætatis, sexus, conditionis, in nassam
regni cœlorum attrahamus, ne pereuntium sanguis
de nostris manibus requiratur. Quoniam uero tan
to muneri exequendo prorsus impares sumus, &
deus in nomine Christi petentibus de spiritu suo lar
gitur, continuis & impensis precibus deo supplican
tes, oremus: Pater noster, &c.

SERMO

SERMO II. DE MINI
STRO ECCLESIAE IN CON-
uentu ecclesiastarum urbis & agri Tigur-
rini habitus, Septembris XII.
Anno M. D. XLIX.



MERITO singularem hoc con- *Donatus l...*
gressu uoluptatem capimus (patres *et y...*
ac praeceptores semper honorandi, *S...*
fratresq; & symmystae plurimum di-
lecti) ubi lumina & ornamenta nostri ordinis conue-
niunt, atq; de arduis negotijs ecclesiae & reip. sermo-
nes habentur. Vix enim aliud aequae iucundum specta-
culum pie menti proponitur, quam intueri sanctos coe-
tus uirorum excellentium, quorum uirtute, doctrina
& exemplo domus dei in urbe & agro Tigurino gu-
bernatur. Extra omnem controuersiam quoq; mos
in hac honestissima corona de diuinis rebus differen-
di, laudibus celebrari debet. Postquam uero dicendi
prouincia mihi est mandata, homini imperito & elin- *Spina d...*
gui, non in parua solitudine esse coepi, infirmitatis
proprie non ignarus. Placebit quidem, uti spero, hu-
manitati uestrae, argumenti magnitudo et praestantia, *A...*
de uocatione ecclesiastica & communi nostro officio.
Nam si uulgare prouerbium de cuiusuis hominis con-

ECCLESIAST. MEDICVS.

ditione prudenter & grauiter monet, Spartam natu-
tus es, hanc orna, hanc administra: multo minus
officij nostri contemplatio, quod in Christiana re-
publica non infimum locum obtinet, ullo tempore
intermitti debet. Huic enim functioni, si specte-
mus originem, non terreni monarchæ, non Ro-
mani pontifices, sed cœlestis imperator ac æter-
nus pontifex adhibuit, non ad lusus pueriles, non
ad opes ac delitias perfruendas, sed ad sempiter-
nam totius ecclesiæ salutem. Cæterum quia satis
intelligo, & libenter fateor, me conari maiora ui-
ribus meis, nec tamen honestum arbitror, dicendi
necessitatem à summe authoritatis uiro impositam
excutere, etiam atque etiam oro & obsecro, ut
pro solito candore & beneuolentia uestra beni-
gnas aures præbeatis, tametsi multo amplior do-
ctrina & eloquentia, quàm possit à me præstari,
iure desideretur. Interim operam dabo, ne uel ob-
scuritate uel prolixitate sermonis, beneuolentia ue-
stra abuti uidear. Quanquam autem sacræ literæ
multis modis ecclesiastæ munus adumbrant, in præ-
sentia tota res collatione medicinæ declarabitur.
Quod enim Christus seruator in Euangelio dicit,
sanos non egere medico, sed egrotos: non solum
ad suum ipsius officium pertinet, qui mundum
hunc

hunc uelut το νοσομαειου ingressus sit, ad curandos omnis generis peccatores, quo nihil usquam afflictæ conscientiæ optabilius audiri potest: uerum etiam à ministris suis exigit, ut domini exemplum alacres imitantes, in grege sibi commisso fideles medicos agant. Quemadmodum Christus solus proprie lumen, episcopus, seruator, præceptor, agricola, pastor, architectus ecclesiæ nuncupatur, eadem uero nomina, sua quadam ratione ministris attribuuntur, ut ipsi quoque lumina, episcopi, seruatores, præceptores, agricolæ, pastores, architecti uocentur: ita si quis eosdem medicorum adpellatione dignetur, nihil absurdi commiserit: præsertim cum cœlestis ille medicus deus & homo, opera nostra utatur ad curam animæ, non aliter quàm insignis medicus homo aliquot seruis ac discipulis, ijsq; medicis, ad multorum corporum curam. Distingua-
mus autem negotium certis capitibus. Primum de uitiosa materia quam modis omnibus corrigere molitur ecclesiastes. Secundo de ministerio quàm necessarium, quis ad hoc eligendus, & quomodo sit ob-
undum, differemus. Tertium caput, quid ab aegrotis, id est auditoribus, uicissim requiratur, ob temporis breuitatem consulto prætermittimus. Sani. 1. Caput.
tatem definire solent habitum, statumq; bonum,

ECCLESIAST. MEDICVS.

à quo naturales actiones sine impedimento profici-
 scuntur, adeò ut singulæ partes corporis officio suori
 te fungantur. Nec inepte bonam dixeris animæ habi-
 tudinem, quando interiores facultates, intellectus, uo-
 luntas, appetitus, omnes deniq; uires animæ quod sui
 muneris est, unanimes exequuntur. E diuerso uitium
 in anima sicut morbus in corpore consideratur, ip-
 seq; languor (ut Augustinus ait) quo bene uiuendi uir-
 tus perijt, non est utiq; natura sed uitium: sicut certe
 mala corporis ualetudo non est ulla substantia uel na-
 tura sed uitium. Differunt inter se haud minus ani-
 mi quàm corporis ægitudines. Vertigine diuexati
 terram moueri putant, alij non bene affecti mel ip-
 sum amarum gustu iudicant, & pro morbi sui ratio-
 ne quæuis imaginantur: ita multorum hominum men-
 tes cupiditatibus irretite perperam iudicant, stultissi-
 mis phantasjs de dei uoluntate, de præsentibus cala-
 mitatibus, de futuro seculo conceptis. Quemadmo-
 dum calor est alius naturalis, temperatus & corpori
 salutaris, alius præter naturam, intemperatus & ui-
 ta inimicus: ita animi duplicem flammam inuenire li-
 cet: piam & utilem, quæ charitas est erga deum &
 proximum, à spiritu sancto incensa: rursus impiam &
 perniciosam igne gehennæ accensam, qua pessime cõ-
 sultum uolumus, & perniciem machinamur fratrie
 bus.

Augustin.
 de nuptijs
 & concu-
 piscencia.

Peccatorũ
 genera.

bus. Huius flammæ diuus Iacobus in sua epistola mentionem facit. Quemadmodum alius continua siti uexatur, nec si mille fontes ad manum habeat, inde bibendo satiatur: ita multorum animos insatiabilis auaritia tenet, non quiescunt immensis opibus acquisitis, utpote nullum constituentes terminum cupiditati. Quod in corporibus est humorum inflatio et tumor, hoc in animis est præsumptio, arrogancia, superbia. Furentium indicia sunt minax uultus, inquietæ manus, citatus gradus, crebra suspiria, quibus per omnia respondet ægritudo mentis, iracundia. Nec non maledicentia peculiari morbo representatur. Quemadmodum quibus uomitio infesta grauisq; , principio quidem renituntur ac conantur nauseam illam inhibere, quo minus euomant: cum uero fastidio uicti succubuerint, magnis singultibus omnia è profundo eructant: sic qui praua consilia in proximos uersant, cū malignitatem mentis ferre nequeant, obrectationis saniem euomunt. Vt ulcera quedam nocituras manus adpetunt, & tactu gaudent, & scædam corporū scabiem delectat, quicquid exasperat: non aliter dixerim mentibus, in quas uoluptates uelut mala ulcera erumpunt, uoluptati esse laborem uexationemq;. Sicut corpus iaculis impetitur & gladio uulneratur: ita D. Paulus ad Ephesios de uulneribus animæ loquitur.

Iacobus
cap. 3.

Chrysostr.
in Matth.

Seneca lib.
1. de tranquillitate uitæ.

ECCLESIAST. MEDICVS.

tur, & iubet assumere scutum fidei, quo possimus iacula mali illius ignita extinguere, significans satanae tentationes ad diffidentiam de dei auxilio, & ad impia quæque impellentis. Horremus, si quis manibus pedum loco, uel pedibus manuum uice uti cogatur, aut si (quod saluo honore dixerim) urina & alui excrementa per os reddantur: at quanto maior perturbatio rebus humanis oritur, si bonæ leges seruiant priuatis affectibus, si episcopi uelut principes dominantur, si nemo in ecclesia suum munus obeat, sed omnia peruersa conspiciantur? Breuiter, ut in corporum uitijs alia alijs grauiora sunt: ita animi quoque uitia alia alijs intolerabiliora. Sicut autem nullus homo reperitur in orbe terrarum, cuius corpus ex humidi, frigidi, calidi, sicci temperatura perfecte sit constitutum, ut non aliquis humorum excedat, tametsi externis id actionibus non deprehendatur: multo minus adeo purus & sincerus animus extat in quoquam mortalium, qui non prauis & immoderatis cupiditatibus sit pollutus, etiamsi absque omni crimine uitam degat. Quod enim Christus ait, Non opus habent sani medico: & Non ueni uocare iustos, nequaquam intelligi debet, quasi aliqui inter homines iusti, non egentes medico, inueniantur. Testatur sacrosancta scriptura

ra, Non est homo in terra qui faciat bonum & non
 peccet, sed ironice per iustos & sanos innuuntur scri-
 bae & hypocritae, qui se pro iustis uenditant, & coe-
 lestem medicum reijciunt. Nunc de proprietatibus
 peccatorum sequitur. Sanitatis indicium est appetere
 cibum & potum naturae conuenientem: morbi in-
 dicium, nec sitim nec esuriem sentire, uel sentire qui-
 dem, sed insalubrium rerum: ita sanitas interna
 desiderio flagrat coelestis alimenti quod uerbo dei
 continetur. Morbus internus id simpliciter asper-
 natur, uel ex humanis constitutionibus, unde pernicio-
 es expectanda, salutem petit. Sanitas reddit agile
 corpus, aegritudo lassum ac languidum: ita spiritua-
 lis sanitas prompte fertur ad honesta opera, in qui-
 bus aegritudo spiritualis torpescit ac languet. Dein-
 de sicut morbi certas habent causas, interiores, ut ^{Causae pec-} ^{cati.}
δυσκρασίου humorum: exteriores, ut si quis
 lapide seu ferro laedatur: itidem de morbis ani-
 mi iudicandum. Intus est caligo mentis, ignoran-
 tia dei, praua uoluntas, uitiosi affectus: foris acce-
 dunt mundi exempla, & demonum inspiratio. Quae
 autem in nobis est corrupta natura, eam quasi
 hereditate accepimus à primis parentibus, quem-
 admodum & male uoletudines, ut podagra et lepra

ECCLESIAST. MEDICVS.

parentum sepe ingenerantur, & in corporibus filiorum adparent. Quemadmodum corpus a quo temperamento amisso, facile quibusuis morbis corripitur: ita & animus primæua sanctitate perdita, omni generi uitiorum obnoxius est factus. Quemadmodum morbus augetur si uel nihil uel non recte exerceatur corpus: ita animi uitia magnum incrementum sumunt pijs & præclaris actionibus intermissis. Hydropsi laborantes quo plus bibunt, eò plus sitiunt: ita quo magis affectibus indulgemus, eò minus exatiamur, & ardentius ad similia perpetranda aspiramus. Sicut ulcera latius serpere, anteriora deuorare, ac semper aliquid integri absumere solent: ita si uitia & affectus uel leuissimos nostra opinione, semel admittas, crescunt & augescunt. Quemadmodum qui oculos inspiciunt lippientium, malo afficiuntur eodem, recteque uulgo dicitur, Vnus pecudis scabies, totum commaculat gregem: ita qui consortium blasphemorum hominum addeunt, præsertim infirmiores animo, plurimum sibi contrahunt impietatis. Ebrij conuictores suos in amorem uini trahunt. Impudicorum consuetudo quatumuis fortem emollit. Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attractus aer etiam eos qui summa cura dietam obseruant, inficit: ita non raro de quibus nihil mali suspicatus esses, impiorum conuictu facile corrumpuntur.

Seneca de
ira.

rem uini trahunt. Impudicorum consuetudo quatumuis fortem emollit. Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attractus aer etiam eos qui summa cura dietam obseruant, inficit: ita non raro de quibus nihil mali suspicatus esses, impiorum conuictu facile corrumpuntur.

rumpuntur. Hactenus de progressu peccati. Iam de ^{Pœna peccati.} premio & pœna. Quemadmodum leprosi ex hominum contubernio eijciuntur: ita nos propter peccatum eiectionis sumus à paradiso & regno cœlesti. Quod in corpore mulieris, de qua Luca 13 spiritus infirmitatis, hoc in animo nostro efficit peccati spiritus. Cum deus creauerit hominem erectum, ne more peccatum ad terrestres fœditates, sed ad cœlestem beatitudinem respiciat: hæc mulier præ aliorum hominum morem, caput præ infirmitate erigere, & uultu ad cœlum erecto ambulare non potuit: sic etiam peccati spiritus animum adeò deprimit, ut non cogitet superna sed inferna, non querat cœlestia sed terrestria. Huius animus die noctuq; somniat aurum & argentum. Hic ardet cupiditate uindictæ, ille tantum fœtiditas spirat libidines. Huius animus est in patinis, illius in poculis, quibus etiam ita affixus est, ut nunquam cœlum contempletur, nisi quando epoto poculo ad os adplicato sursum aspicit. Atque hoc uere est coram deo esse contractum, & distorto gibbo incedere, terrenis uidelicet sordibus adeò immersum esse, ut nequeas caput ad cœlestium rerum contemplationem erigere. Sanitas corporalis letitiam & hilaritatem, morbus tristitiam & molestiam affert. Nam qui laborant aduersa ualetudine, fastidiunt

ECCLSIAS. MEDICVS.

cibos, incusant medicos, succēsent amicis: sic animo sa-
no pioq; omne uita genus iucundum, iniucundum, fla-
gitioso, mala conscientia pungente. Tametsi uero tan-
dem resipiscat, diutius tamen conscientia propter hi-
storiam scelerum ante oculos suos positam exagitur
& torquetur: non aliter quā cū febris cessauerit, de-
bilitas inde conciliata, diutius remanet. Aegrotantes
uel lunæ deliquium uel eiusdem auctus & detrimenta,
uel uentus asperior uel huiusmodi quæpiam leuis re-
rum commutatio ualde perturbat: ita animos imbe-
cilles & affectibus corruptos quæuis offensa mirum
in modum uexat. Cum è diuerso qui firmis sunt ani-
mis, istiusmodi mutationes uix sentiant. Sicut mor-
bo correpti facies turpis, corpus squalidum reddi-
tur, item foetoribus repletur & paulatim absumitur:
sic anima uere, quanquam non corporeis oculis cer-
natur, scelerate gestis descædatur, conspurcatur, cor-
rumpitur. Corpus anima recedente frigescit, putre-
scit, soluitur: ita templum nostrum, dei spiritu expul-
so corrui ac perit, iuxta Paulinum dictum, Si secun-
dum carnem uixeritis, moriemini. Perinde ut uulne-
ra quæ in corpore sunt, sæpe derepente accidunt,
medelæ uero uulnerum cum tormentis adhibentur in-
gentibus, non iuxta æqualitatem temporis quo illatæ
sunt, sed iuxta rationem curationis. Verbi gratia, in
puncto

Origenes
in Ezechie
lem.

puncto horæ manus frangitur & pes luxatur, hoc quæ
 momento factum est, mensibus ferè tribus ac longo
 tempore uix curatur: sic & uoluptas quæ neruos ani-
 mi succidit, & luxuria & semel uniuersa peccata,
 cum paruo tempore infœlicem animam illexerunt, et
 ad uitia pertraxerunt, magnum postea tempus in sup-
 plicijs & cruciatibus promerentur. Nec est quod cul-
 pam in alios conijciamus. Si uidisti hominem scabere
 manus, & usq; ad sanguinem confricare, euiden-
 tem habes animæ peccatricis similitudinem: si qui-
 dem cedit uoluptas illa dolori, & succedit pruritu
 cruciatus: neque id ignorabat ille, sed dissimula-
 bat dum scaberet: sic laceramus & exulceramus
 proprijs manibus infœlices animas, nisi quod tanto
 grauius, quãto magis excellit spiritalis creatura. Fu-
 rentes sepe numero gladios in sese conuertunt: ita ple-
 riq; propria salute neglecta, nolentes in exitũ ruimus.
 Neq; hanc ob rem minus à uitijs abhorrere oportet,
 quia aliquãdo præter spẽ rebus utilib. occasionẽ præbue-
 re. Sicut ex malis morib. bonæ leges ortæ dicuntur. Nã Seneca de
ira.
 et febres quædam genera morborũ leuãt, nec ideo nõ in
 totũ illis caruisse melius putatur. Abominãdũ remedij
 genus est, sanitatẽ morbo debere. Nec quis lōganimis
 deus cõnuent, idcirco pœnã effugiemus, sed tempore
 suo atrocissima repetetur pœna: ut q diutina tabe cõa

ECCLESIAST. MEDICVS.

Seneca lib.
2. epistola.
rum.

ficiuntur, non effugiunt mortem, sed lente moriuntur. Quae
admodum nihil differt, utrum aegrum in ligneo lecto, an
in aurco colloces, quocumque illum transtuleris, mor-
bum secum transferet: sic nihil interest, num animus
eger in diuitijs, an in paupertate ponatur, aegritudo

Chryso-
stomus de La-
zaro.

illum sequitur. Si quem uideas hydropisi aut uitio sple-
nis obnoxium, aut tunc marcescentem, ebrietati ac
delitijs indulgendo, reddere morbum acriorem, adeo
non beatum iudicas ob delitijs, ut ob hoc ipsum maxi-
me miserum existimes: similiter de anima cogitato,
ubi uideris hominem blasphemum, scortatorem, alea-
torem magna frui prosperitate, ob hoc ipsum magis
deplora, quod cum lurida diraeque tibi sit obnoxius,
morbum tamen delitijs uitaque dissoluta exasperet. De-
nique quemadmodum corpus adpropinquante morte,
innumeris aegritudinibus conficitur: ita orbis terrarum
ad finem properans, propter lernam uitiorum atte-
ritur.

II. Caput.

QVID autem utilitatis afferret notitia malorum,
& assidua querela, nisi remedia secundo loco mon-
strentur? De quibusdam morbis omnino medici despe-
rant, magisque pollicentur mitigationem quam sanita-
tem, uelut in comitiali morbo inueterato, in podagra,
& calculo senili: nec desunt uulnera quibus chirurgi
manus admouere nolunt. Ceterum in animi morbis
non

non oportet usquam de salute diffidere. Etenim sepe naturales corporum affectiones sunt immobiles, & hoc nomine immedicabiles. Iam si deus hominē quasi truncum aut lapidem Stoico fato subiecisset, fatemur impositam esse reprobis peccandi necessitatem, ideoq; frustra medicandæ animæ rationem adhiberi. At quia testatur experientia, superesse nonnihil facultatis, & auxilium dei obuium inuocantibus, sanabiles affirmamus profligatissimos quosq; , si modo uelint, & diuinam gratiam implorent. Rectissime Iohannes Chrysostomus monet, cum moribundus aeger fuerit, tametsi mundus defleat omnis, nequaquam cum excitabit, ita non resurrectionis sed lachrymarum ille fuerit fletus: in anima uero non sic: si enim mortuam scueris, sepe numero mortuam excitabis. Hoc dogma penitus insigi debet cunctis mortalibus. Alioqui impuri & flagitiosi Christiano solatio destituntur. Dum infirmus haud graui morbo afflictatur, propter spem recuperandæ sanitatis abstinet à uetitis & obtēperat medico. Si uero sentiat morbū ingrauescere, et se liberari posse diffidat, certe nihil amplius curat dietam, sed appetitui laxat habenas: itidē fieret in his quæ animam spectant. Mediocres solummodo peccatores propter spem salutis à uia mala recederent: facinorosi uero in maiorem impietatem desperabun-

ECCLESIAST. MEDICVS.

di prolaberentur. Imò potius quemadmodum infirmus ille magis insania mentis quàm morbo corporis laboraret, qui de uocando medico admonitus, diceret, Non audeo medicum uocare, quia admodum egra ualetudine detineor. Quandoquidem propter hanc causam præcipue admonetur, ut medicum accersat: ita cur non sentiamus hunc peccatorem furere, qui de inuocando Christo admonitus respondeat, Non audeo, quia cum multitudine & repetitione peccatorum meorum ad iracundiam adduxi. Quandoquidem ob hanc ipsam causam sedulo Christus inuocandus est. Ipsius enim affectum erga nos haud exigere deceat ad sensum cordis nostri, sed ad promissiones Euangelicas, uidelicet, Nolo mortem impij, sed ut conuertatur & uiuat. Postquam omnis generis morbos animi curabiles esse monstrauimus, iam de modo & ratione curandi loquamur. Sicut est ars certa medendi corporibus, que uocatur medicina: ita animis & conscientijs Theologia destinata. Illa perspicue docet frigida nocere dentibus, neruis, ossibus, &c. Itidem hæc breuiter & dilucide, si præcepta dei negligantur, uarias maledictiones accersit. Illa ex herbarum succis, metallorum uenis, animantium naturis, que prosunt corporibus medicamenta componit: itidem hæc anime medicamenta ex scriptura

Curatio
per uerbū.

ra ueteris & noui testamenti præparat. Herbas istas si quis fortè nondum arte compositas afficiat in agris aut montibus, quasi temere & promiscue natas conculcat & præterit. At uero peritus si uel pretiosum & fecundum his germinibus agrum ingredietur, uel intra medici scholam dispositas cõtempletur, licet odorem tristem & austum reddant, tamen suspicabitur aliquid remedij cõtinere: ita scripturæ sententias si quis incultius per libros tanquam per agros uideat dispersas, ignorans earum uirtutem, ut otiosas & minime necessarias negligit. Qui uero spiritalis gratiæ donum, scientiam dijudicandi singula acceperit, mirabitur omnia supra modum, & fatebitur ex his libris tanquam ex agris & montibus salutare herbas demetere & assumere unumquemque debere ad languentis animæ curam. Hanc nobis explicat Ioannes Chrysostomus, Omnium medicinarum (inquit) thesaurus diuinæ scripturæ sunt, & siue stultitiam exuere, siue affectus sedare, siue pecuniarum cupiditatem expellere, siue dolores contemnere, siue fortem animum induere, siue aduersa æquo animo tolerare uelimus, quàm plurima hinc remedia inuenire possumus. Nec quisquam hanc curationem propter moram, quæ nonnunquam interponitur, inficiari debet. Solent medici præbere

Chrysost.
de ira.

Origenes
in Iosue.

ECCLESIAST. MEDICVS.

interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, uerbi gratia ad discutiendam caliginem uisus, nec tamen edendo ipso cibo uel potando sentimus utilitatem, sed cum transferit uisum cibi illius aut poculi uirtus, paulatim purgat oculorum aciem, & tunc demum sentire incipimus, cibum illum uel potum profuisse oculis. Et in alijs similiter corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est etiam de scriptura sancta, quod animæ proficit, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit, quoniam & bonæ uirtutes quæ nobis adsunt reficiuntur in ijs sermonibus & pascuntur, & contrariæ torpescunt ijs meditationibus, & effugantur. Tametsi uero totius uerbi diuini scopus sit unicus Christus, duæ tamen partes ad hunc collimant scopum: una, lex, ostendens peccata & condemnationem, ne superuacuis uideatur Christus: altera, Euangelion de gratuita gratia per Christum exhibita. Quemadmodum medicus, auctore Theophilacto, febricitanti & gelidâ potionem in tempestiue optanti, quo minus explere sitibundam illam permiserit auiditatem, eò magis augebit, non imminuet sitim, & medici officium sit potu eiusmodi interdicere, egrotantis sine potione manere: sic & lex ipsa homines instruebat, ut eos à concupiscendo abigeret, uoluntas tamen peccati illecebris capta, præ-

Theophila-
ctus in epi-
stolam ad
Romanos.

uam hanc propagauit cupiditatem : neque unum ali-
quod huiusce concupiscentiæ genus, sed multiplex et
uarium inde pullulauit, malum enixe operata. Siqui-
dem dum quis exequi quod ferat animus, prohibetur,
illico insanit, & furit maxime, & peccatum tum ma-
gis patebit, cum lex uiolatur. Nam sine lege delictum
emoritur, id est, nusquam esse existimatur. Lege autem
extante, & decentia suggerente, uiuit peccatum, id
est, extat, & delictum esse conuincitur. Vnde scien-
tes prudentesq; delinquent, qui legem transgrediun-
tur. Hucusq; Theophilactus. Interim tamen medici-
na si ostendat uenena mortifera, non est causa mortis,
licet his aliqui abutantur, uel sibi consciscendo mor-
tem, uel inimicis exitium machinando : sic lex à deo
data, ut peccatorum uenena monstret, & hominem
libertate abutentem, qui quasi per præcipitia ruat, fre-
no retineat, & compositis incedere gressibus doceat,
ut deo seruiat in nouitate spiritus, non de diuino auxi-
lio unquam desperet. Rursus à lege certo modo libe-
rantur fideles. Sicut medici (inquit Chrysostomus) fe-
bri laborantes eo aestu liberant, non ut sanitate abu-
tantur in malum, atq; perniciem suam. Nam præsta-
ret per omnem uitam torqueri, quàm ea ratione sani-
ti restitui, ut lecto multo deteriore decumbant, sed ut
discentes infirmitatis incommoda & mala, in posteris

ECCLESIAST. MEDICVS.

ea uitent caueantq; , ut sanitatem arctius amplexi omnia gerant, quæ ad eam conferre possint: ita & deus nos eripit legis rigori, non ut peccemus, quia non sumus sub lege, sed ne in eandem ignominiam recidamus. Hæc ille. Si qua medicina adeò efficax & salutaris inueniretur, ut quotiescunq; homo in morbum prolabitur, ea sumpta, protinus sanetur: aliqui uero mala diæta sponte morbos incurrant, spe sanitatis per medicinam recuperandæ, non ipsius medicinæ, sed hominis abutentis ea, culpa fuerit: ita Euangelica doctrina etiam ijs qui multifariam peccarunt, quoties resipiscunt, gratiam & condonationem per unicum Christum offert. Quòd autem alij calumniantur uiam aperiri carnalibus operibus, nequaquam Euāgelij doctrinæ, sed corrupto hominum ingenio attribuendum est. Deinde uerbo dei exempla bonorū & malorum continentur. Exempla dico. Nam ut medicorum præceptis, quando adposite & ex artis ratione experientia sumitur, tunc maxime utilitas ostendi solet: sic & in spiritualibus monitionibus, postquā præcepta exitum testimonijs comprobatum ostenderunt, tunc illorum utilitas ad uitæ eorum qui admonentur correctionem & eruditionem refertur. Exempla mala dico. Vt enim Theriacum antidotum de serpente fieri dicunt, quod utiq; uirus, corpusq; serpentis

Verbi dei
exempla.
Basilii de
ira.

pentis cum solum sumitur, nocet, cum admiscetur alijs, sanitati confert: ita tametsi pessimorum hominum exempla sacrae literae palam proponant, si non nuda sed cum iudicio consideraueris, ad uitam rectius instituendam plurimum conducunt. Huc pertinet Io. Chrysoſtomi locus ita scribentis: Sapiētes medici quotic mēbra putrefacta secturi sunt, aut lapides in meatibus affixos extracturi, aut aliud aliquod naturae uitium correcturi, non id faciunt eo qui laborat in angulum abducto, sed eo in medijs cōpitis deposito, cōglomeratoq; praeſentium spectaculo, ita demū admouēt manum. Hoc aut faciunt, non quod uelint humanas traducere calamitates, sed ut unicuiq; propriae sanitatis cōmendent curā. Itidē & scriptura facit, ubi quem arripuit peccantiū, proponit eū in sublimi suggesto, non in medio foro, sed in media terra: & posteaquā totius orbis circumsteterit theatrū, tum curationē adhibet, erudiens nos, ut circa propriā salutē cautiōres simus. Hucusq; Chrysoſt. Rursus exempla bona. Quemadmodū enim qui laborāt oculis, si res uirides frequēter intueantur, ex eo colore non parū aegritudo leuatur: similiter nos prophetarū apostolorūq; imaginē praeculis habentes, et ad uirtutū exemplaria respiciētes, etiam si millies oculus mentis perturbetur, maximam tamen inde doctrinam & consolationem percipimus.

Chrysoſto.
de uerbis
Esaie, Vidi
dominū se-
dentē, &c.

ECCLESIAST. MEDICVS.

Nam ut medici pharmacum ad unicum morbum re-
 pertum, ad omnes similes ac affines accommodant:
 ita conuenit scripturæ promissiones, minas, & exem-
 pla ad omnium temporum similes casus applicare.
 Quemadmodum deus indidit radicibus, seminibus,
 gemmis alijsq; creaturis uim purgandi, expellendi,
 confortandi, & omnino medicandi corpora: sic idem
 deus uerbo suo æterno per suos seruos reuelato uirtu-
 tem addidit cuiuscunq; generis errores & uitia cu-
 randi. Inuenias sanè quos fortuita sanant. Etenim in
 flumen alicubi cecidisse magno frigore, causa sanitatis
 fuit. Quorundam flagellis quartana discussa legitur
 apud Senecam de benef. lib. 6. Nec tamen ideo quic-
 quam horum etiamsi saluti fuit, proprie salutare dicitur:
 sic interdum extra ordinem deus absq; uocali uer-
 bo, siue per prodigia, siue per calamitates, siue alios
 modos, ad pœnitentiam reuocat: plerunq; tamen ora-
 gano uerbi sui mouet, trahit, iustos & saluos facit. Ut
 uulgus ineptum magno labore, magnoq; impendio re-
 media ab extremis Indis aut Aethiopibus petit, cum
 in hortis nobis sepe nascatur, quo morbidis corpori-
 bus succurrere possemus: ita præsidia beatæ uitæ ma-
 gno molimine foris querimus, in opibus, in uoluptati-
 bus, in Romano sterquilinio, cum in unico uerbo dei
 nihil non fideliter comprehensum & reuelatum sit,
 quod

quod ad bene beateq; uiuendum pertinet. Porro non ^{Ecclesia} ^{stes requi}
 omnium est herbarum genera uirtutesq; nouisse, & ^{ritur.}
 pro diuersitate circumstantiarum uarijs aegritudinibus
 applicare. Vnde periti artis medicæ requiruntur,
 quorum consilio & ductu libenter utamur: multo
 minus est cuiusuis in horto diuino saluberrimis herbis
 confito uersari, & cuiuis inde conuenientem medici-
 nam cõponere, & opportune distribuere. Quare mi-
 nistris uerbi qui prudenter hæc omnia administrent,
 carere minime licet. Inter opera misericordiæ & be-
 neficiæ numeratur, corporis emendare uitia: at
 longe excellentius diuiniusq; opus est spiritualis medi-
 ci. Nec ministerium ecclesiasticum propter ministros
 malos male audire debet: sicut nec ars medendi uitio
 datur, quia multi carnifices uenena pro pharmacis
 dederunt. Gloria uero soli deo accepta referenda. Si ea-
 nim medicus multorum corpora sanitati restituit non
 absq; naturæ interiori motu, nobis occultissimo, nec
 profunt medicamenta, nisi ijs quibus deus operatur
 salutem, qui & sine illis mederi potest, cum sine ipso
 illa non possint: quanto magis qui multorum animas
 curat docendo, hortando, consolando, id per dei gra-
 tiam præstat, intus in auditoribus operantẽ. Hacten-
 us de uera causa remediorum quæ ministerio homi-
 num utitur: deinceps igitur de electione ministrorum

Qualis ec-
 clesiastes es
 ligendus.

ECCLESIAST. MEDICVS.

agamus. Num egrotans audias amicos ita loquentes,
 Hunc adhibe medicum in meam gratiam. Est enim mihi
 necessitudine iunctus, uel quia ualde cupit hoc
 officium obire. An non potius respondebis, Alibi
 uestris affectibus seruiam, mihi periclitanti com-
 modissimus erit, qui sanandi peritissimus. Quantum
 uero corpus animæ posthabetur, tanto minus ad ca-
 thedram quisquam ordinandus ex gratia, seu alio af-
 fectu. Si quis extruat officinam medicorum, habeat
 etiam discipulos, instrumenta, pharmaca, & in-
 grediatur ad egrotos, num ista sufficient, ut ueri
 medici munus sustineat? minime. Non enim in na-
 tura pharmacorum tantum est salus, sed in arte
 quoque adhibentis. Oportet ipsum inter se conferre
 & quasi trutina expendere egrotantis ætatem,
 constitutionem, uires, dietam, studia, adde morbi
 causas, medicamenti qualitatem, anni tempus, regio-
 nis naturam, sine horum prudenti consideratione sæ-
 penumero magis obsunt quàm prosint medicamina:
 ita si febricitanti uinum, bilioso mel, coeliacis obso-
 nia ministrentur, morbi uis augetur, non minuitur.
 Eadem res eodem modo sumpta, uni quidem uitam,
 alij mortem conciliare potest. Quis uero dubitet
 ægrotudines animæ multo grauiores & periculo-
 siores esse quàm corporum? Non igitur idoneus
 satis

satis ad eas leuandas & tollendas qui bibliothecam
habet instructam, interim ignorat artem artium, re-
gimen animarum. Quomodo alios queso de diuina
mente, de Christiana fide erudiet, quam ipse non
prius didicerit? Quomodo colluione uitiorum con-
taminatos à proposito scelerate uiuendi abstrahet,
qui non originem & incrementa scelerum animad-
uertit? Non eriget, sed prosternet afflictam consci-
entiam, qui non apte discernit officium Christi, cur
uenerit, & exemplum ipsius, quatenus imitandum.
Vnde sicut de medico iuvene, qui caret usu rerum,
dicitur, opus esse ei nouo cœmeterio: ita nouitio
Theologo propter imperitiam ipsius, periculosum
est animæ salutem committere. Nemo tamen infi-
ciabitur, iuvenes aliquando reperiri & medicos &
Theologos, quibus tutius omnia tua concredas,
quàm alijs quibusdam etate prouectis. Medici è
uenenatis feris atque serpentibus salutare medici-
nas conficiunt, deq; ipsis uiperis, alia quidem reij-
ciantes, alia uero elixantes, multos harum rerum præ-
sidio morbos pellunt: ita nos quoque poëtarum, hi-
storiarum, philosophorum, papistarum monumenta
manibus uersantes, noxia & pestifera declinamus, a-
lia sparsim nostræ doctrinæ inserentes, auxiliarem sa-
lubremq; curationem asserimus. Lingua quoque

ECCLESIAST. MEDICVS.

nobis excolenda. Nam ut pharmacopole bracteis aureis tegunt remedia quædam, quo pluris uendant: ita si quis eloquentiam adhibeat concionando, citius imperitorum animos flectet. Nec parum ad rem fecerit medici bona & incolumis ualetudo, ne uulgari sommate petatur, Medice cura te ipsum: ita tametsi medicrem diuinarum rerum peritiam adepti, in templo fœliciter docere uideamur, nisi quæ alijs præcipimus, ipsi factis exprimimus, ecclesiæ magis offendiculo quàm adminiculo sumus. Pro concione reprehendimus uane sumentes & blasphemantes nomen dei, inuehimur in ebriosos, adulteros, scortatores, usurarios: quid hoc aliud quàm contemptus & irrisio uerbi dei, si quæ publicitus damnamus, ipsi quoq; perpetramus? Ideo quemadmodum medici quando ægra ualitudine premuntur, aliorum medicorum consilio & auxilio indigent (infirmitas enim obliuionẽ artis inducit) ita propheta Dauid cum ad nefarium facinus accessisset, à propheta Nathan curabatur, atq; omnibus temporibus ministri delinquentes, aliorum ministrorum mœdela opus habent. Iam ad explicationem officij nostri descendamus, quod certe nequaquam est dominium, ut pontifices Romani ius dominandi sibi arrogent. Quemadmodum si quis pallio deposito, lintheo saccinctus, suis ipse manibus ferrum sumit, uel si

Ecclesiastæ
officium nõ
est domini-
um.

strorum mœdela opus habent. Iam ad explicationem officij nostri descendamus, quod certe nequaquam est dominium, ut pontifices Romani ius dominandi sibi arrogent. Quemadmodum si quis pallio deposito, lintheo saccinctus, suis ipse manibus ferrum sumit, uel si

si usus postulat incidit, profluētē sanie excipit, atque
 unguenta oblini: breuiter multis uulneratis ser-
 uat, & iuxta cuiusq; morbi malitiam admouet medica-
 mina: non decet adpellari ministerium elationis, sed
 humilitatis, sollicitudinis, laboris: ita multo amplius,
 qui spirituales sordes & detestabiliores infirmitates
 sanandas suscepit, non occasionem arripiat superbi-
 di ac dominandi, sed uelut omnium seruus, & ratio-
 nem de officio daturus, commissō gregi solcite prouideat.
 Medicus in alienis calamitatibus mœrore proprio
 agitur. Conuersationem enim habet cum ijs,
 quorum caro misere debilitatur, qui febribus astant,
 qui dolore torquentur, qui lamentantur & quiritantur:
 ita cōcionatoribus occurrunt animo languentes,
 idolis seruiētes, ambitione correpti, uino dediti, libidine
 ardentes, auaritia obsessi, sanguine madentes, sceleribus
 conspurcati, quos omnes miserari debemus, et tam
 propitij quam egros suos medicus intueri. Quandoquidem
 haud nos præterit quod egroti misericordiam non indignationem,
 compassionem non despectum merentur. Cur enim contemneremus
 egrotos, cū eadem naturæ imbecillitate nos omnes detineamur,
 & quouis momento ipsi quoq; non solum agrotare, sed &
 planè mori queamus? Euangelica sententia, non opus
 habere medico sanos, sed egrotos, innuit quos-

ECCLESIAST. MEDICVS.

uis ex peccatoribus loco infirmorum habendos esse: quid aliud euincitur, quàm peccatores à filio dei eorum loco reputari, qui adeò non contemnendi, ut etiam durissimorum misericordiam mereantur. Magnū utique solatium, si enim is qui inoffensa ualitudine uiuit, & semper foelicissime ualet, nihil se cius condolet aegrotis, quanto magis id facere conuenit eum, qui à graui ualitudine nunquam securus est? Christus seruator ab omnibus morbis & corporis & animi liber, immunis, alienus, peccatores numerat inter aegrotos, quos misericordia dignos arbitramur. Quid ergo nos faciemus & ipsi peccatis uarijs obnoxij? An non hoc ingenium solide & germanæ benignitatis in Christo, imitabimur, ut magis perpendamus, quid ad curandos eos pertineat, quàm ut cum hypocritis & temerarijs iudicibus deseramus & condemnemus? Siquidem nec diuus Paulus Corinthium, qui nouercæ stuprum obtulit, neglexit, sed satanæ tradidit ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die domini Iesu. Qui enim absque compassione uulnera fratrum intuentur, haud mirum, si cum ipsi quoque lapsi fuerint, similiter despiciantur. Medicus quidem, ut infirmis condoleat, & probè sciat illorum ærumnas, ultro tamen & inuocatus non accurrit, uerum satis esse putat,

2. Cor. 15.

non arti imputatur. Nec igitur nos unquam Euangelicam gratiam perplexius trademus, quia deprauatū hominis ingenium dona dei sinistre accipit. Nam qui laudat beneficium medicinae, non ideo dicit morbos et uulnera prodesse, sed quanto maioribus medicina laudibus euehitur, tanto magis horrere decet, à quibus magna cum laude liberat: ita si recte aestimemus, laus & prædicatio diuinæ gratiæ damnat delicta, non dat occasionem delictis, & pertinet ad abolenda peccata commissa, non ad noua indies designanda. Imò tamen ^{Emendatio uitæ.} si beatitudinem non in ulla bonorum operum dignitate, sed in sola misericordia (quam Christus dominus promeritus est) collocemus: adeo tamen necessariam esse emendationem uitæ statuimus, ut sine hac nemo remissionem peccatorum & beatitudinem consequi possit. Vt enim haud prius medicinae salutes porriguntur, quam uomitu uel alijs inanitionibus corrupta materia euacuata & exhausta fuerit, & post purificationem demum corpus melioribus succis uegetatur: ita non est possibile ad diuinam gratiam suscipiendā habiles ac idoneos reddi, nisi quantum fert humana natura, diuinitus adiuta, prius eiectis nefandis sceleribus. Sicuti nihil iuuat ullum medicamentum ad curationem uulneris, in quo ferrum adhuc hæreat: ita nullum fructum cœlestis remedij, diuinæq; misericordiæ

ECCLESIAST. MEDICVS.

percipiunt, quicunq; potare, libidinari, aut alia flagitia cōmittere obstinate perrexerint. Non instrumenta bellica, non robur militum, non prudentia ducis, non montes & alia naturæ munimenta proderunt aduersus hostes, nisi quæ deum irritauerunt, ut hostem immitteret, ex animo remouerimus. Interim tamen necessitatem honeste uiuendi à causa efficiente salutis, ut terram à cœlo distinguere oportet. Quemadmodum euacuatio corruptæ materiæ ad sanitatem necessaria quidem, non tamen est proprie causa sanitatis. Et quemadmodum sine extractione ferri nequit uulnus curari, non tamen extractio sanitatem efficit: sed ut egrotus conualescat, proxima & principalis causa est, natura corporis egrotantis dei benignitate uiribus prædita, ut medicinam reducat ad actum seu medicinam reddat efficacem. In hanc sententiam Hippocrates ait, *ὁ νόσος φύσιν ἰατρῶν*, & experientia testatur, quod aliquando natura sine medicamentis sanat. Minus principalis causa est, qualitas in medicina exuscitans naturæ actionem, seu præparans naturam ad actiones morbo contrarias. Instrumentales sunt, medicus & medicina: ita etiam Christiana uita summe necessaria Christiano, nihil tamen agit ad producendum remissionis & beatitudinis effectum.

Si

Si hominis natura mansisset integra, nec tam misere per Adami lapsum uitiata esset, principaliter quidem salutem effecisset obedientia perfecta, anime nostre diuinitus insita: iam uero post corruptionem nature, unica principalis causa salutis restat gratuita misericordia per Christi mortem exhibita. Minus principalis causa est, anima nostra uirtute spiritus sancti, negotium Christi per fidem adprehendens. Adhuc inferiorem in hoc ordine bona opera ex fide orta, locum obtinent. Instrumentales cause sunt, pastores, scriptura, & sacramenta. Deinde cum nostrarum sit partium ab omnibus uitijis dehortari, & ad integritatem morum impellere, iudicium adhibendum, quò contra ea potissimum pugnemus, quæ presenti tempore potissimum ingruunt, & uel blandis uel acerbis, prout opportunum uidetur, rationibus utamur. Sicut enim hoc imperiti medici fuerit, priusquam speciem morbi grassantis cognouerit, medicinã parare: postulat methodus ut antequam syrupus propinetur, & alia medicamina fiãt, egritudo comperta habeatur, ut iuxta ipsius qualitatem medicina cõformetur, ne pro oculo aurẽ, pro manu caput sanare uelit: ita nos inepti merito iudicamur, si non antequam suggestum cõscendumus, attenderimus qui errores, quæ scelera

ECCLESIAST. MEDICVS.

maxime grassentur, ut ijs imprimis inter concionan-
dum occurramus, à quibus ecclesia precipue infesta-
tur. Quid enim per totam concionem attinet dicere
de papismo, minus de anabaptismo, si hic & plures
inuadat & plures inficiat quàm ille? Cur in leuiori-
bus rebus prolixi & copiosi, sed parci uerborum su-
mus aduersus male administrantes repub. aduersus
oppugnantes syncerum Euangelion, aduersus blasphe-
mantes nomen dei, aduersus indulgentes libidini &
belluati. Ista inquam, & reliqua nefaria, quo uehe-
mentius nostro seculo regnant, hoc maiori conatu di-
uini spiritus gladio dissecanda & reprimenda erunt,
ut ab ecclesie ceruicibus ante omnia auertamus, pro-
pter quæ spirituale corpus in extremum uitæ disci-
men adducitur. Neq; pastoris officium adultos solum
attingit, sed & pueros commendatos habeat oportet.
Vt enim æstatis tempore infirmati facilius quàm hye-
mis tempore laborantes, sanitati restituantur: ita iu-
uentutis uitia minori negotio quàm senum curari so-
lent. Nec procrastinationem aliquam, aut ullam cun-
ctationem admittunt hi clarissimi poëte uersus:
Principijs obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.
Ita nisi principijs tantorum scelerum resisterimus, ole-
um & operam sepe perdimus. Quòd ex nostris plu-
rimis

rimise militiae mercenariae & ignominiosae dedunt,
 nec iureiurando, quo magistratui deuincti, retineri
 queunt, ex eo frequenter oritur, quod alea, lusu, com-
 messatione, luxuria omnem substantiam dissiparunt,
 nec amplius in pretio habetur frugalitas & parsimo-
 nia uitae. Quod nomen dei turpiter à plerisque propheta-
 natur, & scelera sceleribus coaceruantur, ex contem-
 ptu uerbi diuini nascitur. Quare medendi ratio quo-
 que admonet, ne dissimulantes initia, & uelut leuia
 negligentes, grauioribus malis uiam aperiamus. Nec
 solum initia, sed & cause diligenter inquirende, &
 quantum possibile, è medio tollende. Sicut ulcerosus
 et scabiosus medicamentis impositis sanantur quidem,
 sed nisi fluens humor, qui genuit scabiem & ulcera,
 purgatus fuerit, paulo post utraq; redeunt. Nam cau-
 sa manente, morbus repetitur: ita causa omnium uitio-
 rum pro uirili superanda & pellenda, incredulitatem
 dico, si de summo bono, infinito deo falsae opinionibus
 animis insideant, quod uel nullus extet usquam, uel
 non respiciat humana, uel alio modo quam per Chri-
 stum reconcilietur. Rursus ut quaedam medicamento-
 rum genera, non in singulis tantum aegritudinibus
 conducunt, sed omnibus in commune medicantur, &
 habent in se uirtutem generalis auxilij: ita fides ca-
 tholica non aduersus singulas tantum pestes, sed etiam

Causae uitio-
 rum tollen-
 dae.

ECCLESIAST. MEDICVS.

Blande.

contra omnia genera errorum & scelerum miram
uim exercet. Sequitur de blanda consolatione &
acri obiurgatione languentibus animis adhibenda.

Bonus medicus mauult morbo mederi somno ciboq;
quàm scammonio aut castoreo: sic bonus uerbi minia
ster blanda potius admonitione, quàm dura increpa
tione, si liceat, corrigit. Aegrotos ille frigidam pe
tentes consolatur, & se daturum promittit, sed fora
tem, & uas, & tempus, & multa huiusmodi causa
tur: nam si repente negaret, eos in insaniam uerte
ret: ita hic amatoribus pecuniarum assentitur, dum
non quidem damnat diuitias, sed legitime parare do
cet, & maxime commendat spirituales atq; aternas
diuitias. Vt enim corporis uulnera attritu fiunt diffi
cilia curatu: sic animorum morbi si irrites exaspe
resq; aliquādo magis ac magis incrudescunt. Quod

Acriter.

si uero postulet res, ille non solum nardum inijcit,
lauat suauiter, pascit humaniter, sed lippienti mora
dacia collyria, crudo stomacho amarum absinthia
um, uermibus in puerorum uisceribus acre pharma
cum adhibet: ita hic non semper blande admonet,
ne molli manu lasciuiam attrahat, sed contra reni
tentes asperis pungentibusq; uerbis utitur. Vt e
nim quandiu opertum est uulnus, medicationem nula
lam admittit: sic & delinquentes cum fuerint rete
cti

Et obiurgati, poenitudine ueniam consequuntur. Ceterum hac in re diligenter excutiamus omnes circumstantias. Ut austeri remedia leuant quidem egros <sup>Qui obliu-
gandi.</sup> tantes, sed offendunt & inficiunt sanos: ita acris obiurgatio uitiosis medetur, probos offendit. Deinde ^{Quando.} si non usurpentur in loco, dolent absque fructu: sicut increpatio non ut debet admota. Item si in le- ^{Quantum,} uiculis rebus acriter reprehendimus, perinde facimus, ac si medicus amarum ac sumptuosum pharmacum in leuissimis morbis passim admoueat. Ipseque herbae salutes consuetudine perdunt medendi uim, sicut assidua reprehensio non emendat assuetum iam obiurgationibus. Praeterea dulce nonnihil amaris admiscet ^{Quomodo.} pharmacis ut alliciat: ita nos obiurgationis asperitatem lenitate mitigemus, ut acerba dulcore temperata, equioribus animis recipientur. Porro si quis comonitus et <sup>Poenae gra-
uior.</sup> correptus semel & iterum ac tertio, nihil emendationis ostenderit, disciplina medici repetenda. Si oleo perunxit, si malagmate molliuit, nec profunt leuia, acriora admouet remedia, sectionem, cauterium, ustulationem: ita nos omnem tentemus uiam instaurandae sanitatis absque ferramento. Quod uero non potest aliter sanari, cum dolore cogimur abscindere uel exurere. Ut enim magis probanda medicina quae uitiosas corporis partes sanat, quam quae exurit:

ECCLESIAST. MEDICVS.

ita satius esset improbos lenitate quam acerbitate corrigere, aut exclusione uelut e medio tollere. Non tamen ideo necessaria intermittenda sectio. Nec enim decuit senem Heli filios leniter arguere, quos pro peccatorum qualitate punire debuit. Cæterum hac de re trium præstantissimorum Theologorum uerba recitabo, deinde quam caute pars ista medicine exercenda sit, indicabo. Chrysostomus libro de auaritia hæc scribit: Si quis uulnus habeat, quid timere dignum est, saniem an medici sectionem, ferrum an ulcers depopulationem? Peccatum sanies est, poena ferrum est medicinale: sicut igitur saniem habens, & si non secetur, male habet, & quando non secatur, tunc peius habet, in maioribus malis est: ita peccans etsi non puniatur, omnium miserrimus, & tunc maxime miser, cum nihil graue patitur. Et sicut splene & intercute laborantes cum larga fruuntur mensa & frigida potione, & delicatis ferculis & saporibus, tunc maxime omnium sunt miseri, delitijs morbum augentes. Si uero siti & fame secundum medicorum leges crucientur, aliquam salutis spem habent: sic in iniquitate uiuentes, si puniantur quidem, bonam spem habent: si uero cum iniquitate, licentia & delitijs fruuntur, & hydrop laborantibus & crapulantibus sunt multo miseres, & tanto magis, quanto corpore melior anima.

anima. Cyprianus de lapsis sic: Oportet dei sacer 11.
 dotem non obsequijs decipientibus fallere, sed reme-
 dijs salutaribus prouidere. Imperitus est medicus, qui
 tumentes uulnerum sinus, manu parcente contrectat,
 & in altis recessibus uiscerum, uirus inclusum dum
 seruat, exaggerat. Aperiendum uulnus est & secan-
 dum, & putredinibus amputatis, medela fortiore cu-
 randum. Vociferetur & clamet licet & conquera-
 tur aeger, impatiens per dolorem, gratias aget postmo-
 dum, cum senserit sanitatem. Beda in epistolam Iaco III.
 bi hæc: Sicut caro morbis emortua, si abscissa non fue-
 rit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione
 corrumpit: ita isti qui emendari despiciunt, & in suo
 morbo persistunt, si moribus deprauatis in societate
 sanctorum permanserint, eos exemplo suæ perditio-
 nis inficiunt. Hactenus Chrysostomus, Cyprianus, Be-
 da. Cæterū inter cautiones hæc prima sit, ne quos- 1. Cautio.
 uis incurabiles morbos amputationem exigere pute- 2. Nō semper
 mus. Quid podagra, quid chiragra peius? num ideo incidendū.
 incidemus membra? Minime: sed remedium ad solu-
 tionem morbi disquiremus. Ita si grauissime frater ex-
 grotet, feramus inuicem onera, sic implebimus legem
 Christi. Secunda. Etiam si non possit omitti sectio, 2. Lente
 lente tamen ad eam accedamus, nobis ipsis antea pro incidendū.
 be' excusis. De quo piissime monet Gregorius Nazi-

ECCLESIAST. MEDICVS.

anzenus. Imago dei es (inquit) & imaginem dei con-
demnas. Iudicaberis & tu qui iudicas, alienum iudicas
seruum, & quem alius gubernat. Ita fratrem tuum
probato, tanquam & tu eadem mensura sis iudican-
dus: ac ideo haudquaquam in abscindendo festina, aut
confestim membrum alienes. Incertū enim est, ne ideo
quod sanum est corrumpatur. Verūm admone, hor-
tare, increpa, medicamenta habes, regulas habes, Chri-
sti es discipulus, humilis & mansueti, qui iniquitates
nostras portauit. Quod si primum tibi restitit, longa
nimis esto. Si uero secundo, desperare noli, adhuc sa-
3. Expedite nandi tempus est. Tertia. Sicut illi qui secant, hoc se-
stinanter facere student celeritate sectionis cruciatus
sensum fallentes: itidem nos rem culpabilem non mul-
tis uerbis protrahere, sed paucis constringere debe-
4. Placide. mus. Quarta. Illi putrida & accensa secturi, nihil
iracunde faciunt, sed tunc maxime tranquillitatem a-
nimi seruare student: quis ergo non maiorem animi
sedationem ab animarum medico requirat? De hac
Chrysostomus in epistolam ad Hebræos. Multa leni-
tate (inquit) opus habet qui corripit, ut qui cor-
ripitur, equanimiter toleret sectionem. Non uide-
tis medicos quando urunt uel secant aliquos, cum
quanta lenitate opus curationis exercent? Multo
amplius corripientes oportet hoc agere. Etenim
corruptio

correctio & igne & ferro uehementius operatur,
 & resilire facit eos quibus offertur. Hæc circa æ-
 grum etiam medici primum student, quatenus pos-
 sint ægrum facere sectionem æquanimiter tolerare.
 Et quantum possunt leniter agunt, & aliquantulum
 requiescentes, ægrum faciunt recreari: sic enim opor-
 tet correptiones efficere, ut qui corripiuntur non re-
 filiant, ac si eos iniurijs affici contingat, ac si percu-
 ti, non debent abhorrere. Nam qui secantur, aduer-
 sus eos à quibus secantur multa reclamant: sed illi ni-
 hil impediuntur, sed tantum ægrotantium consulunt
 utilitati & sospitati: sic etiam hic cuncta gerenda
 sunt. Quinta. Illi potius ære quàm ferro secare so-
 lent, quòd hoc pacto uulnus sit sanabilius: ita si cogi-
 mur acerbius inuehi, sic moderabimur orationem,
 ut ipsa in se nonnihil admisceat occultæ medelæ.

Sexta. Illi non statim deserunt sectum, sed rigant ac
 leniunt: ita si acrius reprehendimus, reliqua uitæ con-
 suetudine lenire debemus eam molestiam. Breuiter,
 ut illi oderunt ægritudinem, & hoc agunt cura, ut æ-
 gritudo pellatur, æger leuetur: ita nos non cum perso-
 nis sceleratis (nam harum salutem expetimus) sed cū
 ipsis scelerib. dimicamus. Nec est medicinæ culpa, sed
 uulneris, quando clementi crudelitate non parcunt

5. Quo in-
strumento.

6. Quid
post incis-
sionem.

ECCLESIAST. MEDICVS.

ut parcant, seuiunt ut misereantur. Imò si ab incidendi urendiq; proposito lachrymis inflexi agrotorum, medicamentis tegant, quod ferro aperiendum fuit, num misericordes eos uere dixeris? minime gentium. Ita medicus animæ uirus criminis latens prodere, non fouere debet, ne dum unum excludendum non putat, plures faciat exclusione dignos. Verbi gratia. Nullus tantopere diligebat scortatorem apud Corinthios, quãtopere Paulus iubens illum satanæ tradi, donec ad puram sanitatem induceret. Nullus magis odio persecutus est illum quàm socij frigidam suffundentes, sicut tandem exitu comprobatum est. Hactenus de medendi ratione tum blanda tum aspera, quarum utraq; necessarium ad recuperandam sanitatem usum habet. Conseruantem insuper rationem imprimis teneat & corporis & animæ medicus. Nec enim ex diutino morbo solum aliquid infirmitatis contrahunt restituta sanitati corpora, sed uel ob paruam negligentiam & repletionem denuo prior morbus affluere consuevit: ita nos ijs quoq; quos bene conualuisse putamus, non obiter prospicere conuenit. Nullum exeat adeò sc̃elix ingenium quod omni careat ñeuo, quod non ad uitia lubricum & procliue, quod absq; diuino aduersus impias suggestiones robore consistat. Etenim uterq; medicus hic in corpore, ille in anima relapsus

in

Præferua-
trix medici
na.

in aegritudinem longe periculosiorem esse priore experitur, & quos prima ualetudo aduersa non extinxit, sepius iterata post redditam incolumitatem preciosissimum bonum uitam prorsus amittere. Quomodo uero sanitatem tueri & augere docebimus? Iubetur ad sanitatē reductus abstinere deinceps ab ijs, unde morbum conciliarat, & cum ante uenenum sumit antidotum, non leditur ueneno: ita uitiorum scaturiginē, de qua supra mentio facta, præcipue cauendam hortabimur, animosq; salubribus decretis ex sacra scriptura petitis, subinde confirmabimus, ne uel mundi exemplis inficiantur, uel carnis desiderio cedant, uel satanæ tentationibus succumbant. In his omnibus uero *instandum.* difficultas & labor sepe remorantur, quo minus strenue peragamus officium. At nec corporis aegritudinem facile subitoq; pellere licet. Vnius horæ spacio uulnus infligitur, os confringitur, iunctura resoluitur, sed postmodum longo tempore difficilime curantur: sic uniuersa peccata breui tempore infelicem animā illiciunt atq; ad enormia scelera pertrahunt, nec una aut altera concione expugnari solent, sed uaria quædā & frequens accommodanda est doctrina, ut si prima & secunda parum profecerit, tertia uel decima uel centesima saltem persuadeat ac sanet. Imò tametsi grauiore morbi uideantur, quàm ut arte curari possint;

ECCLESIAST. MEDICVS.

medicos imitemur, nihil officij prætermittentes, ut maiorem habeant excusationem. Delicati quidem ægroti nolunt uicium tangi, insani calcibus feriunt, faciem inaspiciunt medici, contumeliosi & conuicti incesant. At fidelis non propterea relinquit sibi cõmendatos, præmeditans, multa ferenda qui furiosos homines curat: itidem nos experimur quotidie ingratorum hominum odia, maledicta, iniurias, haud alia de causa quam quod salutem ipsorum et totius reip. querimus, et pro gratia concessa promouemus: sed procul absit, ut ideo nostræ partes unquam desideretur. Quinimò misericordia et lachrymis eos prosequamur, quod propter morbi uehementiam amissimos ignorant, et uerbum crucis stultitiam aut heresim interpretantur, cum sit ipsissima sapientia, uirtus ac uita. Ideoque quantum uiribus eniti, consilio providere, autoritate monere possumus, hoc totum ad sanandos eos iuxta exempla prophetarum & apostolorum impendamus. Nec iniucundum fuerit Diui Augustini uerba de his audire. Etiam lethargici multi sanantur. Ipsi enim similes sunt qui non scuiunt in Christum, nec maligni sunt aduersus Christianos. sed tantum differendo languescunt uerbis somnolentis, in lucem oculos extendere pigrescunt, & qui eos excitare uolunt, molesti sunt. Recede à me, inquit languidus lethargicus, obsecro te recede à me. Quare? Dormire uolo. Sed ille,

Augustin.
de uerbis
domini in
Euang. secundum
Iohannem.

ille, Morieris inde. Ille amore somni, mori uolo, respondet. Et charitas desuper, Nolo. Plerunque istum charitatis affectum exhibet etiam filius seni patri morituro post paucos dies, iam utique aetate finita, si lethargicum uidet, & lethargico morbo premi suum patrem agnoscit à medico dicente sibi, Excita patrem tuum, noli eum permittere dormire, si uis ut uiuat. Adest puer seni, pulsat, uellicat, pungit, pietate molestus est, nec mori cito permittit cito moriturum, & si uiderit ut aliquando plures dies uiuat cum decesserit successurus. Quanto maiore charitate nos amicis nostris molesti esse debemus, cum quibus non paucos dies in hoc mundo, sed apud deum in aeternum uiuamus? Idem in epistola XLVIII. Non omnis qui parcat amicus est, nec omnis qui uerberat inimicus. Meliora sunt uulnera amici, quam uoluntaria oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere. Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quam esurienti panis frangitur, ut iniustitia seductus acquiescat. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest amplius amare, quam Deus? Et tamen nos non solum docere suauius, uerumetiam salubriter terrere non

ECCLESIAST. MEDICVS.

cessat, fomentis lenibus quibus consolatur, sepe etiam mordacissimū medicamentum tribulationis adungens.

Ministerij
fructus.

& reliqua. Immensus deniq; fructus & utilitas indefessum studium & diligentiam nostram excitet.

Medici si multum, corporalem uitam aliquot horis aut annis medela sua protrahunt: Ceterum uerbi prædicatione æterna salus corpori & animæ communicatur.

In hoc etiam præsentī seculo modis omnibus foeliciores sunt diuinæ prædicationi morigerantes. Nec deerunt qui sanitate recepta beneficium sibi collatū agnoscent, et nobis quos aliquando abominati fuerāt,

August. in
epistolam
ad Galatas
cap. 6.

immortales agent gratias. Lubet iterum Augustinum de his loquentem inducere. Multi postea cogitantes quæ audierunt, ipsi se grauius & seuerius arguerunt.

Et quamuis perturbatiores à medico uiderentur abscedere, paulatim uerbi uigore in medullas penetrante sanati sunt: Quod non fieret, si semper expectaremus periclitantem putrescentibus membris, quando uiri liberet aut secari. Quod nec ipsi corporis medici attendunt, qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quotus enim quisq; reperitur, qui ferrum eorum aut ignem nō ligatus expertus sit, cum & illi rariores sint, qui uolentes ligati fuerint. Plures enim resistentes & mori se malle clamantes, quàm illo curari modo, uix lingua ipsa eorum relicta libera omnibus membris cōstrinxerunt.

runt,

rūt, neq; ad suū neq; ad reluctantis, sed ad ipsius artis
 arbitrium: quorū tamen uocibus, conuitijsq; dolentiū
 nec commouetur curantis animus neq; quiescit ma-
 nus. Medicinæ autem cœlestis ministri aut per odiorū
 trabē cernere stipulā in oculo fratris uolūt, aut tolera-
 bilius mortē uidere peccantis, quā uerbū indignan-
 tis audire. Quod non ita accidisset, si tam sanum ani-
 mum curando alterius animo adhiberemus, quā sa-
 nis manibus illi medici aliena membra pertractant.
 Idem alibi, Si quisquam inimicum suum periculosis fe-
 bribus phreneticum factum currere uideret in præ-
 ceptis, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si
 eū currere sic permitteret, q̄ si corripiendū ligandūq;
 curaret? et tamē tunc ei molestissimus et aduersissimus
 uideretur, quādo utilissimus et misericordissimus ex-
 titisset? sed planē salute reparata, tanto uberius ei gra-
 tias ageret, quanto sibi eum minus pepercisse sensis-
 set. O si tibi possem ostendere ex ipsis circumcellio-
 nibus, quā multos iam catholicos manifestos habe-
 mus, damnantes suam pristinam uitam, & miserabilē
 errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia dei face-
 re, quicquid inquieta temeritate faciebant, qui tamen
 ad hanc sanitatē non perducerentur, nisi legum istarū
 (quæ tibi displicent) uinculis tanquam phrenetici li-
 garentur. Et mox, Quā multi ex ipsis nunc no-

August. in
 epistola 48
 ad Vincen-
 tium.

ECCLESIAST. MEDICVS.

biscum gaudentes, pristinum pondus perniciosi sui operis accusant, & fatentur nos sibi molestos esse debuisse, ne tanquam mortifero somno, ita morbo ueterno se consuetudinis interirent. At enim quibusdam ista non prosunt, nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia? Tu non attendis nisi eos qui ita duri sunt, ut nec istam recipiant disciplinam. De talibus enim scriptum est, Frustra flagellavi filios uestros, disciplinam non receperunt: puto tamen quia dilectione, non odio flagellati sunt. Sed debes etiam tam multos attendere, de quorum salute gaudemus: si enim terrerentur & non docerentur, improba quasi dominatio uideretur: sed rursus si docerentur, & non terrerentur, uetustate consuetudinis obdurarentur, & ad capeffendam uiam salutis pigrius mouerentur. Hactenus ex Augustino. Porro non solum quibus restituta sanitas, laborem & operam nostram celebrabunt, sed sicut alij simul egrotant animo, uidentes amicum male affici, rursus sanitate reddita non parum gratulantur: ita si commoda salutarisq; nostra prædicatio fuerit, maiorem uniuersi Christiani uoluptatem inde capient, & dignis laudibus extollent. Nam si uirtutes illius medici sempiternum nomen parerent, inq; stuporem deducerent posteritatem, qui uel uni cæco uisum, surdo auditum,
muto

muto loquelam, leproso mundiciem, mortuo uitam
resitueret. Nonne illustriora laudum apud omnes præ
conia merentur pij concionatores, qui non semel, sed
quotidie hæc ipsa in animis auditorum ministerio suo
efficiunt: imò quòd etiam in corporibus idem præstet
dies extremus testificabitur & ante oculos statuet.
Apud immorigeros uero et præfractos homines quã
uis beneficiũ perdatur, nequaquam tamen perdetur
apud deum liberalem remuneratorem. Sin uero no
stra uel inscitia, uel ignauiã, uel perfidia alij in pecca
tis suis pereant non corporis, sed animæ morte, que
sempiternum habet coniunctum cruciatum: nobis
eam ministris acceptam feret dominus, & nos utpo
te non medicos, sed maleficos, non seruatores, sed uir
statores æternum damnabit. Vt igitur pestilentissimis
morbis, ecclesie corpus infestantibus, sceliciter mede
ri, & plurima ipsius membra ad interiorem sanita
tem reducere queamus, assidue diuinam opem, ut spi
rituali medicinæ uires impertiat, inuocemus, Amen.

SERMO III. DE MINI

STRO ECCLESIAE, IN SO

lenni cœtu ecclesiarum urbis & agri

Tigurini habitus, septēbris XII.

Anno M. D. L.



PER QVAM memorabilis est illa
concio seruatoris nostri in Euangelio
secundum Ioannem decimo capite, in
hunc modum loquentis, Amen amen
dico uobis, ego sum ostium ouium. Omnes quotquot
ante me uenerunt, fures sunt & latrones, sed non alla
dierunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis in-
troierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, &
pascua inueniet. Fur non uenit, nisi ut furetur & ma-
ctet, ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abun-
dantius habeant. Ego sum pastor ille bonus. Bonus pa-
stor animam suam dat pro ouibus. Mercenarius autē,
& qui non est pastor, cuius non sunt oues propriae, ui-
det lupum uenientem, ac deserit oues, fugitq; et lupus
rapit & dispergit oues. Mercenarius autē fugit, quia
mercenarius est, & oues nō sunt illi curae. & reliqua.
Hac tota concione, tria maxime consideranda propo-
nuntur. Primum dominus uulgo nota similitudine pa-
storis, proprium suum & perpetuum munus decla-
rat.

rat. Secundo pios & ueros ecclesie ministros à falsis²
 & hypocritis discernit. Tertio, quid omnib. qui Chri³
 sti nomine censentur faciendum sit, ouium exemplo
 edocet. Cæterum in præsentia neq; de Christi summi
 pastoris, neq; de ouium officio, sed qui aptissime con-
 uenit huic loco & tempori, de ueris & falsis pasto-
 ribus discernendis, sermonem institui. Neq; uero quis
 quam uestrum, uenerandi præceptores, patres, ac sym-
 mystæ, adeò me uecordem & stupidū arbitretur, qui
 grauitatem & molē oneris, cui ferendo impares sunt
 humeri mei, non expendam. Ut enim de gubernanda
 rep. hostibusq; infestis repellendis, bene differere, nō
 est nisi prudentis uiri, & longo rerum usu exercitati:
 ita nec de regenda ecclesia Christi, & à spiritualibus
 lupis asserenda apposite ac perspicue uerba faciet,
 qui non eximia cælestium rerum cognitione & elo-
 quentia præditus fuerit. Nec ignoro, plerosq; uestrum
 in hoc sacro coetu & ingenio magis idoneos, & do-
 ctrina magis, quàm ego sim, instructos esse ad dicendū.
 Attamen quia prouinciam hanc mihi mandauit supe-
 rior authoritas, nolui, quantum diuinitus conceditur,
 publicæ causæ deesse. Simul humanitatem uestrā ma-
 iorem in modum rogo, pium conatum in arduo nego-
 tio fauore complecti, & æquo animo audire dignemi-
 ni, præsertim nihil aliud, quàm quod nostrum omnium

ECCLESIAST. PASTOR.

**Pastores
quiritur.**

pastorale munus concernit, afferentem. Ac primum quidem patres ac fratres in domino colendi, studium & diligentiam nostram exuscitet & acuat necessarius usus pastorum. Ovis enim adeo demens & stultum est animal, ut si à stabulo aberrauerit, prius frigore pereat in dumetis & locis auis, quam ad stabulum reuertatur, nec ipsa unquam pastorem quaeratur, sed ut à pastore quaeratur, reducatur, conseruetur opus est: ita homo cum per peccatum Adae semel à stabulo regni caelorum exorbitauerit, & uagetur passim in deserto huius seculi, potius in uoluptatibus & immundicijs periret, quam ad dominum deum redeat, ut salutem consequatur. Nos omnes, clamat Esaias propheta, tanquam ovis errauimus, quisque uiam suam sectatus est. Mox idem propheta subiungit, quanta erga perditam ouem sollicitudine afficiatur deus, qui filium suum unigenitum pastorem dederit, cuius ductu & auspicijs, cuius etiam morte ovis amissa uindicaretur & seruaretur. Adhuc clarius ipsemet Christus ihs quae modo recitauimus, pronunciat uerbis, se bonum illum pastorem esse, qui animam suam pro ouibus exponat, à sanguinario lupulo liberet, uerbo suo uiuifico pascat, & aeternam uitam largiatur. Quanquam autem haec uere ac proprie

Isa. 53.

proprie de unico Iesu Christo prædicentur, inter-
 rim tamen ministris suis, per quos uocat & pascit,
 non inuidet pastoris nomen: sed quemadmodum ipse
 solus est filius Dei iustus & cœlestis, ex gratia au-
 tem per fidem & nos sumus filij dei iusti & cœ-
 lestes: ita dominus noster, quem unum pastoris ad-
 pellatione dignum censemus: (Nam etsi alij sanctis-
 simi uiri suas animas sexcenties pro ouibus ponant,
 ne unam quidem redimere possent: hic uero to-
 tum gregem unica hostia in libertatem asseruit)
 non inuitus tamen cooperarijs suis nomen pasto-
 ris, quod sibi soli debetur, communicat. De qui-
 bus Hieremie tertio cap. scribitur, Dabo uobis pa-
 stores iuxta cor meum, qui pascant uos peritia &
 intelligentia. Cum igitur pastorale munus ab ip-
 somet deo sit sancitum, non temere, sed ad salutem
 amentium & stolidarum ouium, honorifice de hoc
 ministerio sentientes, omni cura & studio sem-
 per huic inuigilemus. Porro dominus noster ^{Triplices}
 tribus generibus gubernatores ecclesiæ distinguit: ^{doctores ec-}
^{clesiæ.}
 primum eorum est qui ueri, eoque nomine digni sunt:
 secundum est mercenariorum: quibus tertium subiun-
 git, quos latronum furumque nomine notat. Sicut enim
 politici magistratus triplicem habent differentiã. Alij
 præclare suo munere funguntur, res gerunt necessarias

ECCLESIAST. PASTOR.

et salutare, nec franguntur metu, ut deserant officium
sed constanter seruiunt utilitati publicæ magis quam
privatæ. Talis fuit apud Iudeos Iosaphat, apud Athe-
nienses Aristides, apud Romanos Fabius. Secundo gra-
du censentur mercenarij, qui unum hoc agunt, ut ho-
minum fauorem aucupentur, atq; remp. hactenus ut-
cunq; administrant, quatenus capiunt ex ea priuatum
commodum & tranquillitatem. Quare in periculis lan-
guent, tacent, fugiunt, cuiusmodi fuerunt Romæ Lu-
cullus, Athenis Lysias, & in omnibus aulis ac oppidis
talium magnus est numerus, qui mediocriter admini-
strant remp. sed in discrimine communi necessitate
posthabentes suæ salutem, aut sese abduunt, aut inflectunt
sententias ad potentium uoluntates. Tertio gradu sunt
sycophantæ, et iniqui iudices, qui donis corrupti per-
uertunt iudicium, qui expilando & proculcando ci-
ues suis cupiditatibus satisfaciunt, ut Romæ Saturninus,
Rullus et similes tribuni plebis, seditionibus labefacta-
runt remp. & postea multi Cæsares omnem tyrannidem
exercuerunt. Consimiles his tres differentias inter eccle-
siæ doctores, haud obscure significat dominus noster.
Primo loco bonos esse pastores innuit, qui uestigia Ie-
su principis pastorum imitantur, ut prophetae, apostoli,
Basilius, Ambrosius, Augustinus, & alij complures.
Secundo mercenarij perstringuntur, non sanè quicum-
que

que pro ministerio ac labore mercedem unde uiuant, accipiunt. Dignus est enim operarius mercede sua, sed qui tantum mercedis gratia seruiunt, nec ita sunt animati, ut gregi domini uere consultum cupiant. Ideoq; ubi periculū imminet, & uel satan, uel satellites ipsius gregē inuadunt, nō obfistunt fortiter, sed eō se, quō fortuna, inclināt. Docent quidē, dum saluis rebus licet, purū Euangelion. Sin uero Interimistarū doctrina ui obtruditur, assentiuntur et illi, et suscipiūt eam docendā. Quod si mandaretur eis, ut si uelint ecclesiastico stipendio tranquille frui, Mahometicā religionē tradāt, obsequerentur. Tertio gradu sunt fures & latrones, qui falsis dogmatibus soli Mesſiæ debitā suffurantur gloriā, & oues domini ad se non pertinentes, in suā potestatem redigunt, lac emulgent, uellera diripiunt, carnes ouū comedunt, ossium medullas exugunt, hoc est, domos uiduarū deuorant, portentosas corradunt opes ad luxū, animas ueneno imbuta doctrina interficiunt, dum à cœlesti pastore, in quo uno uera salus est ac uita, ad regnum satanæ, in omne impietatis genus abducunt: insuper phalarica tyrannide grassantur in ecclesiam Christi, & mactant quotquot sincerā Euangelij doctrinā confitentur. Tales olim impij sacerdotes erāt in Iuda, & nostro seculo pontifices, & principes, qui omnigenæ idololatriæ in ecclesia authores sunt. Ex his

ECCLESIAST. PASTOR.

iam finem & propositum eorum, qui bene uel male
pastoritium munus obeunt, intelligimus. At quibus fa-
cultatibus instructi sint ueri pastores, qua ratione
gregi dominico provideant: e diuerso quæ studia malo-
rum pastorum deprehendantur, planius ac clarius

1. Officium porro explicandum uidetur. Ouibus regendis, quis
idoneum putet ignorantem ouile, ignorantem ostium
ouilis, ignorantem pascua, ignorantem modum re-
ducendi errantes? aut gnarum quidem istorum om-
nium, sed mala fide administrantem? Multo ma-
gis hæc uniuersa requiruntur in eo, cuius fidei ratio-

Ouile.

Orta

nales oues committuntur. Ouile seu caula spiritua-
lis dicitur domus dei, regnum cælorum, ipsaq; so-
cietas electorum: quam late uero pateat illud ouile,
& quibus finibus terminetur hoc septum, hoc est,
qui pertineant ad regnum cælorum, perpetuo digla-
diantur religionis antistites. Non eò pertinent lupi,
non ursi, non uulpes, non porci, non lepores, non ue-
spertiones, sed oues: hoc est, nec diaboli, nec idolola-
træ, nec pseudochristiani, qui uel Christum abnegant,
uel turpiter uiuunt uacui pœnitentia. Quales ergo
Iudæi quidem neminem arbitrantur hoc stabulo com-
prehendi, nisi circumcisum & sabbata agentem.

Christus uero dicit, Et alias oues habeo, quæ non
sunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere: hoc

est.

est, non tantum iudeos agnosco meum populum, uerū
etiam gentes, etiam si non assumant iudaismum. Vt e-
nim historia de Cornelio Centurione silentio præte-
reatur, an non Paulus Philippis à custode carceris in-
terrogatus, Quid me oportet facere, ut saluus fiam, , ,
respondit, Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu , ,
& domus tua? Non circumcisionem, non sabbatis-
mum exigit ab ethnico, sed fidem in Iesum Christum.
Deinde qui à parte stant pontificis, somniant ouile
Christi eos tantum capere, qui se Romanæ subijciant
ecclesiæ, qui sacrificorum & monachorum meritis
in illud introducantur. At non est adeo angustum ouile
Christi. Reipsa comperio (inquit Petrus) quod non
sit personarum respectus apud deum, sed in quauis
gente, non ait, in Romana ecclesia, sed in quauis gen-
te, qui timet deum, & operatur iustitiam, acceptus
est illi. Et sicut in Christo non est seruus nec liber, Galat. 3.
non est masculus nec fœmina: ita in eo non est ere-
mita nec politicus, non est cœlebs nec coniunx, sed
omnes qui credunt, unus sum in Christo Iesu. Inuenias
item adeo superstitiosos, qui exclusis peccatori-
bus, non nisi iustos & sanctos in ouile admittant.
At multo latius patere, Christus innuit his uer-
bis, Non ueni ad uocandum iustos, sed pecca-
tores ad pœnitentiam. Breuiter, hoc ouile non

ECCLESIAST. PASTOR.

Ostium. terminatur nec ullo uel uitæ genere, uel finibus orbis, sed tantū cognitione & fide in Christū. Præterea quod delectu certo quidā ad hoc stabulū dei pertineant, quidam uero arceantur ingressu, ex ostio quoq; intelligitur. Ad quid ostiū domus, nisi aditus detur in domum? Christus pronunciat ouile suū habere ostiū, per quod ingrediamur: nō igitur uult omnes exclusos à regno suo. Rursus, quæ quibusuis et bestijs et hominibus patent, non solent ostijs muniri. Quare cum ouile dei ostium habeat, non patet quibusuis nullo discrimine liber accessus. Quod nam aut sit illud ostiū, exponit ipse met dominus, Ego sum, inquit, ostium ouilū, omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones. Ne uero quis arbitretur, hoc ei uerbū temere excidisse, mox repetit, Ego sum ostiū, per me si quis introierit, seruabitur, hoc est, per me solum ius & adoptio domus ac regni dei acquiritur. Reliqua omnia ostia quæ uel Iudæi Baalite, uel gentes idololatæ, uel pharisæi et Sadducei, uel Mahometistæ fabricarūt, abducūt homines ad infernū, non ad cælum. Sacrificuli Missarij, & Monachi tot in cælū commenti sunt ostia, quot celebrarūt Missas pro peccatis uiuorū et mortuorū, quot instituerunt ordines monasticos, quot sanctos inuocandos proposuerūt: sed quia tantū unū est uerum ostiū in ouile dei Iesus Christus, fures et latrones sunt omnes, quicumq;

quicumq; aliud ostium in regnum coeleste architectan-
tur. Nec pluribus protectoribus rationales indigent
oues, quanquā inualidæ & inermes, multarūq; bestia-
rum insidijs expositæ. Vsus enim ostij est non solū in-
troitum & exitū præbere, sed etiam communire lo-
cum, unde & uectes & repagula et seræ adhibentur.
Cū itaq; ostiū uocat se dominus, simul declarat se in-
uictum esse munimentum, quod ouiculas ab iniuria &
uiolentia suum & luporum fortiter defendat, non ita
ut in hoc mundo sint illæsi tutiq; ab iniurijs uiolento-
rum, sed ne iure ac foelicitate regni dei spoliētur. Præ-
terea si, quale sit ostium, consideremus, quid plerunq;
impedire soleat quo minus ingredi liceat, animaduer-
titur. In Euangelio secundū Mattheum, portam ad ui-
tam describit dominus arctam & strictā. Vnde colli-
gimus ostium esse humile, demissum, ac depressum, per
quod nemo ingrediatur eorum, qui mundanæ sapien-
tiæ, propriæ iustitiæ, inanis gloriæ gibbis & sarcinis
elati & onusti sunt, nisi prius istas sarcinas deponat,
imò nō resumpturus abijciat. Nec sufficit humilis de-
prauatæ naturæ confessio, nisi uera quoq; fiducia in
Christū concipiatur. Solis enim fidelibus ostiarius pa-
ter propter filiū per spiritū sanctū aperit, simulq; ius
ac prærogatiuā ingrediendi ac egrediendi, hoc est, con-
uersandi in domo dei, ut fiant domestici dei, largitur.

ECCLESIAST. PASTOR.

Pascua. Quae omnia pastorem praesertim, bene cognita & perspecta habere oportet. Nec minus pascuorum noticia requiritur in ijs, qui alios docere suslinent. Reuera quidem Christus ipse pascit corporis & sanguinis sui pabulo, sicut in Euangelio secundum Iohannem sexto capite explicauit. Ut, si cuius anima propter peccatum esuriat iustitiam, propter afflictiones esuriat consolationem, propter mortem sitiit uitam: in Christo per fidem reperiat iustitiam, consolationem & uitam. Certa ratione uerbum quoque dei, Euangelium adpellatur pabulum, quatenus monstrat & adnunciat Christum dicentem, Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. In

Ambrosius
in Psal. 118.

Sermon. 14

hanc sententiam uerbum dei celebratur à diuo Ambrosio, Bona pasua sunt (inquit) libri scripturarum
 1) caelestium, in quibus quotidiana lectione pascimur,
 2) in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quae scripta sunt degustamus, uel summo ore libata frequentius ruminamus. His pasuis grex domini saginatur. Hec ille. Hucusque breuiter perstrinxi, quid ouile, quid ostium, ianitor, pabulum in regno dei significet, sine quorum noticia nullus bonum in grege dominico pastorem egerit. Nam hoc est unum ex potissimis officijs nostris, ut gregem fidei nostrae concreditum de uero ostio & uia in stabulum regni caelorum

caelorum erudiamus. Quae uero oves extra septa
per falsas doctrinas in errorem abductae, uel per
prauam concupiscentiam in scelera prolapse fue-
rint: à pernicioso instituto reuocemus, & prædica-
tione uerbi ad ouile Christi reducamus. Alioqui enim
nunquam sua sponte reuerterentur. Nam & Chri-
stus in Euangelio secundum Lucam innuit, à fidei pa- Luc. 15:
store nonagintanouem oves relinqui, & amissam
queri assidue donec inueniatur. Idem uel unico Da-
uidis exemplo liquet. Hic exclusit sese quondam è sta-
bulo per adulterium & homicidium. Nec est reuer-
sus sua sponte, sed pastor Nathan necesse habuit
amissam ouem querere, quam cum adhuc pro foribus
aberrantem, comprehenderet, reduxit. Itidem nos
sequuti prophetae Nathan, maxime uero domini
Christi exemplum, oves perditas summa diligentia
queramus, saluberrimis pascuis Euangelij nutriamus,
& apud dominicum gregem conseruemus: quae pri-
mae sunt nostrae partes. Simul autem hinc igna-
uos pastores & mercenarios deprehendimus, qui
uanissimis rebus intenti, leuiter & oscitanter do-
cent, & cum deberent sacris literis incumbere, ne
temere & importune alimenta ministrarent, aucu-
pijs, deambulationibus, commensationibus, & alijs

ECCLESIAST. PASTOR.

perniciosis rebus uacant, haud alia de causa, quare
quia uentri seruiunt, & nulla ouium cura tanguntur.
Nec non hinc apparent ex diametro pugnantibus
pi, fures, latrones, qui uocē Euāgelij traditionibus cor-
rumpunt, imò pro nefas Euangelio haresios notā in-

2. Officium urunt, explodunt et oppugnant. Iam ad secundum
officiū pastoris uenio, quod insignis ille pastor, diuus
Paulus 1. Cor. 14. consolandi uerbo cōplectitur. Nec
enim sanarū & robustarū ouium tantum cura gerenda,
ut pascenda, sed de infirmis & agrotis maxime solici-
tos esse decet. Si quæ nō omnia perfecte cognouerint,
nec ad amussim quæ pro concionibus promulgata,
executa fuerint: non conuenit Tauricum obtueri, in-
humaniter tractare, diris deuouere, sed infirmitati eorū
compati, defessas sinu portare, uulneratis mede-
ri, mœstas consolari. Nec enim mandat, sed impensis
precibus orat apostolus, inquiens, Obsecramus uos fra-
tres, monete inordinatos, consolamini pusillanimes,
Galat. 3. subleuate infirmos, patientes estote erga omnes. Et ali-
bi, Etiam si occupatus fuerit homo in aliquo delicto,
uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi, spiritu
mansuetudinis, considerans temetipsum, ne & tu ten-
teris. Inuicem alij aliorum onera portate, & sic com-
plete legē Christi. Idem quod uerbis alijs præscribit, e-
uidenti suo in Galatis seductis exemplo nobis cōmen-
dat.

dat. Acerrime enim in lupos & seductores inuehitur
 per totam epistolā, ipsos uero Galatas uelut infirmas et
 teneras oues mansucto spiritu reuocat & consolatur.
 Porrò tametsi plura fidelium pastorū exempla in me-
 diū proferri queant, tamen de primario pastore Chri-
 sto subinde repetendum est, quia duplicē in omni do-
 ctina Christiana usum habet. Vnum præcipuū, quòd
 ipse solus ex infernalis lupi faucibus eripit, ereptasq;
 oues suo spiritu & uerbo pascit, medetur, consolatur,
 cōfirmat. Alterū aliquanto minoris momenti, quòd ui-
 uum et perfectū exēplar omnis generis uirtutū inspi-
 ciendus et imitādus pponitur. Eos sanē qui uestimētis
 ouīū incedunt, intrinsecus uero sunt lupi rapaces, ma-
 gna animi cōmōtione insectatus est. Reliquis aut, etiā
 publicanis, et scelere conspurcatis singularē exhibuit
 humanitatē. Benigne respexit apostolū Petrum, tamet
 si dominū suum non leuiter hic abnegasset. Mariæ &
 Marthæ anxij de salute fratris Lazari, nō Stoico mo-
 re, sed suauius uerbis respondit, Infirmitas hæc nō est
 ad mortem, sed pro gloria dei. Breuiter, qualem se fore
 per Ezechielē uaticinatus est, uere præstitit. Ego pa- 34. cap.
 scam oues meas, & faciā eas accubare, dicit dominus , ,
 deus. Perditam requiram, propulsatam reducā, confra , ,
 ctam ligabo, infirmam roborabo, pinguem & fortem , ,
 cōpescam. Huius principis pastorū uestigijs, nos omnes

ECCLESIAST. PASTOR.

oportet insistere, ne ipso duriores erga infirmas, san-
cias & afflictas esse uideamur. Simul uero medici-
nam, sanitatem, robur, uniuersum denique solati-
um & auxilium ouium, in uno ac eodem summo pa-
store, nec usquam alibi demonstrare. Hæc enim e-
loquitur æterna ueritas: Fur non uenit, nisi ut fure-
tur & mactet ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant,
& abundantius habeant: hoc est, Fur ingreditur
noctu in ouile, non ut ouibus aliquid alimenti affe-
rat, sed ut uel pabulum uel oues tollat. Et latro si-
ue prædo grassatur gladio suo, non ut defendat, sed
ut laniet ac perdat, & in gregem cui prodesse de-
bebat, tyrannidem exerceat. Ego uero non ueni
ad deglubendum, & mactandum, sed ut suppeditem
omnium rerum abundantiam & copiam. Ex hoc
unico dicto, quicquid opus erit consolationis, pte-
re licet nobis & alijs in omni afflictionum genere.
Alius magna rerum egestate premitur, alius despe-
rabundam habet conscientiam ex agnitione suæ iniu-
stitiæ, alius metu mortis & inferni torquetur. Quò
ergo hi sese uertent? Si metuis ne fame pereas, au-
di quid pastor tuus dicat, Ego ueni ut uitam habe-
ant, camq; abundantissimam. Non uides panem in ca-
nistro, non pecuniam in crumena, sed si uideris
Christum

Christum in corde tuo, an tibi aliquid defuturum metuis? Qui affert animum plenum Christo ad uacuum crumenam, multo maiores opes inueniet, quam qui affert animum uacuum Christo ad crumenam nummis refertam. Si indiges iustitia, & metuis ne propter peccata percas in morte, audi quid pastor tuus concionetur, Ego ueni (inquit) ut uitam habeant & abundantiam uite. Contrarium quidem testatur conscientia tua, sed plus ne fidei adhibebis conscientie tue, quam uoci unigeniti filij dei? qui mentiri nescit, & cuius uerbum manet in eternum? Inspiciant autem & examinent nunc ingenia, mores, dicta & facta sua, quicumque hodie pastorum titulo & nomine gloriantur, ac iudicent ex his, pastores ne, an mercenarij, an fures & latrones sint. Si omnes cogitationes & curas in hanc rem conferimus, ut tota ratio medendi, confirmandi, consolandi afflictas animas, per solam fidem à Christo petatur: bonis utique pastoribus adnumerandis erimus. Si recte quidem consolamur, at non iuuandi animo, sed obiter ac defunctorie, quandiu sine iactura corporis, opū, gloriae licet, haud pastoris, sed mercenarij adpellatio quadrat. Ceterum si Missae pontificiae, regulae monasticae, collegia sacrificorum, inuoca-

ECCLESIAST. PASTOR.

tiones diuorum, imò si bona opera, quæ deus in decalogo præcepit, hoc nomine commendentur, ut perturbatam mentem reficiant, ut uulneratæ conscientiæ medeantur, in mortis agone auxilium ferant: Messiaæ debitus honor furto subtrahitur, animarumq; horrenda

9. Officium latrocinia perpetratur. Superest tertium pastoris officium, quod apostolus exhortationem uocat, et omnem urgendi sollicitudinem complectitur. Quoties enim oves de uera uia deflectunt, & salubri pabulo posthabito, sterilia & abrupta loca depascuntur, non satis est inquirere & aliquantulum inclamare, ut palantes & dispersæ redeant, sed ex errore tam stupida redduntur, ut diu quæsita, ne inuenta quidem pastorem sequantur, nisi compulsa trahantur, aut humeris adportentur. Multo maius incumbit onus ecclesiæ pastori, ne contentus sit, à fidei & pietatis tramite aberrantes, & in sepibus uitiorum hærentes, aliquoties admonere, sed urgeat ac instet, & compellat intrare. Quod non eò dico, quod quenquam inuitum cogi posse autumem, sed quod nolim facile spem de quoquam abijci, donec omnino

Math. 7. se porcum ostendat, cui dominus uetuit margaritas projicere. De uera instandi ac tolerandi ratione

2. Tim. 2. diuus apostolus hæc scribit ad Timotheum, Seruum domini non oportet pugnare, sed placidum esse
erga

erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem, malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obstunt, si quando det illis deus poenitentiam ad agnoscendum ueritatem, & resipiscant è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem. Quas autem oues adiunxerit gregi fidelis pastor, magna diligentia custodit, atque ut incolumes conseruet, non solum irruentes lupos, ursos, leones abarcat, sed etiam oues scabie infectas, aut alioqui reieculas attenta cura separat, ne totus grex uenenata contagione inficiatur: ita nos, si fideles essemus pastores, & in pseudopphetas, papistas ac anabaptistas, & in ipsas oues scabie uitiorum oppletas, maiori studio animaduertemus. Nam quia magistratum deus singulari gratia nobis concessit Euangelicæ ueritatis propugnatorem, qualis nec prophetis nec apostolis sortito semper obtigit, huius ope melius uniuersum gregem expurgare possemus, si feruenti pioque zelo agitaremur. Exempli causa, Cum anabaptistarum latibula & peruersa studia resciscimus, cum sumptus in publicis rationibus subducendis ecclesiam grauant, cum honestissimæ leges manifeste uiolantur usuris, computationibus, adulterijs, nos putamus officio probe functos esse, si semel atque iterum prefectos admonuerimus, quorum munus est

ECCLESIAST. PASTOR.

ui condere nequitiam. Ideoq; in synodis omnem culpam à nobis in magistratum negligentem deriuare nitimur. Caterum si penitus intueamur, magistratus quidem habet suos neuos non dissimulandos, ex obliuione & incuria sepe intermittens necessaria. Interim tamen maior in ista morum corruptione culpa in nobis hæret ministris, qui quos merito accusauimus, non tertio, non quarto, non decimo accusamus apud consulem & senatum, donec aut manifesta è medio tollantur offendicula, aut senatus autoritate, tantopere urgens compellatio prohibeatur. Quinimò si maxime prohibeatur, quod tamen hætenus nec factum, nec dei benignitate (spero) fiet: eò magis in suggestu decertandum contra impia dogmata & sceleratam uitam, quò minus auxiliij apud homines reliquum adparet. Quid præterea dicam de diuina lege, ad quam peculiari iureiurâdo nos obstrinxit pius magistratus, ut quoties nomen dei uane usurpâri, & temerario iuramento pollui audiuerimus, constitutam poenam eodẽ momento persequamur. Nostrum uero multi sunt in urbe & agro, qui pro rostris edictum illud laudamus, hortamurq; ut alij studiose seruent, ipsi uero non seruamus, imò ne molesti amici uideamur, aut importuni conuiue, non interpellamus, nedum poenâ exigimus. Ita ne per deserta loca uagantes

ONES

oues ad stabulum regni dei compelluntur intrare, & ne integra sanæq; à morbidarum contagio ledantur, sedulo cauetur? An nō potius hæc socordia nostra, quotidie mala serpere, & deteriorē fieri gregē cernimus? non indigni quibus iusto dei iudicio lupi & latrones præualeant. Dic mihi obsecro, si quod ad gloriã diuinæ nominis vindicandã, facile præstat, omittimus, formidantes uidelicet offensam, ne morosi a tabaptista, nimiumq; seueri ac duri existimemur: quid tū sperare licet, quãdo propter Euangelũ nō solũ fauore & adplausu, sed discrimine uitæ et capite decernetur? Num cuncta simul perdere bona paratus erit, qui etiã quod uilissimum est cū dedecore diuine maiestatis retinere conatur? Si Christi concionem attendimus, hæc mercenariorum, nō pastorum fuerint. Illi nō audent ingenue profiteri quod sentiunt, sed formidant odia, exilia, cruciatus, ignominia, suæ tranquillitatis causa tacent, aut detorquet Euangelũ ad hominũ affectus. Ut, nūc plurimi in Germania non ignorant Euangelũ, sed tamen metu sententiã suã dissimulant, dissimulatione rabie luporum, id est impiorũ doctorum & tyrannorũ confirmant, & concreditũ gregē perfide pascetes, lupis dissipandũ & dilaniandũ relinquunt. Boni uero pastores sese fortiter opponunt, & dimicant cum aduersarijs, quo gregem in sinceritate fidei tueantur incolumem,

ECCLESIAST. PASTOR.

huiusq; salutem suae uitae, omnibusq; praesentis uitae
anteferunt comodis. Sunt enim uestigia imprimis Chri-
sti, deinde prophetarum, apostolorum & martyrum
proposita nobis omnibus imitanda. Nempe, cum ui-
deret dominus lupum diabolum grassantem in ouile
dei, iam inde ab initio mundi, & machinantem qui in
mortem ac inferorum barathrum demergeret simul
omne genus humanum: e' supremo caelorum throno
delebitur, in utero uirginis carnem, adeoq; totum as-
sumit hominem, lupi uoracissimi caput conterit, nec
rem uilem, sed animam suam, nec coacto sed prompta
animo impendit, ut satisfactione sua eriperet de po-
testate diaboli, transferretq; quotquot ei credunt, in
caeleste regnum. Etsi autem nullus hominum possit
uel sua, uel aliena peccata morte sua expiare (Pote-
stas enim & facultas expiandi peccata & reconcili-
andi nos deo penes solum Messiam perpetuo manebit)
nulli tamen fideles pastores ad exemplum pri-
marij pastoris, uitam suam pro ouibus impendere gra-
uantur. Etenim prophetae, apostoli, ac martyres dede-
runt animam suam pro ecclesia dei, & multum pro-
fuerunt ecclesiae, subeundo mortem propter Euange-
lion, sanguine fuso testimonium ueritati reddentes, &
confirmantes alios exemplo suo, ut & ipsi Christum
agnoscerent, cuius confessione aeternam salutem con-
seque-

sequerentur. Quoniam ergo deus tanto amore & so-
 licitudine erga genus humanum afficitur, ut unigeni-
 tum filium, prophetas, martyres, innocentissimos, &
 charissimos seruos crudeliter occidi maluerit, quam
 oues amissas, in errore & internecone derelinque-
 re: sole clarius intelligimus, uenerandi patres & di-
 lecti fratres, manibus pedibusq; conuendendum, uelis
 equisq; contendendum, ut pura Euangelij ueritas do-
 cendo, consolando, urgendo propagetur, Antichristi
 & diaboli regnum a nobis oppugnetur ac destrua-
 tur, etiam periculo uitae, adeoq; ipsi malimus discer-
 pi, quam oues lupo discerpendas permittere. Non ex-
 cusabimur in extremo iudicio, si metu offensarum, si
 inhonesta fuga, melioribus temporibus reseruari ue-
 linus. Etiam sublati nobis, non deerunt alij idonei pa-
 stores ouium. Deus uel ex hisce lapidibus & fidelio-
 res & cunctis modis instructiores excitare potest,
 quibus ad finem usq; seculi regatur ecclesia. Ut igitur
 hoc periculosissimo & deploratissimo tempore
 ueternam excutiamus, arduumq; pastorale munus for-
 titer tueamur, nec pigeat extrema quoq; pati, si res
 ita postulet: dirum illud supplicium, quod dominus
 per Ezechielem malignis pastoribus ut absterreat mi- 34. cap.
 natur, ob oculos statuamus, Vae Vae, inquit, pastori-
 bus Israelis, qui paucum seipsos, & reliqua. Rursus &&


ECCLESIAST. PASTOR.


amp. simum aeternae uitae premium in recenti memo-
ria, ut alliciat, custodiamus, de quo Petrus: Pascite
s. Pet. 5. >> (ait) quantum in uobis est, gregē Christi, curam illius
>> agentes, non coacte sed uolentes, non turpiter affe-
>> ctantes lucrum, sed propenso animo: neq; ceu domi-
>> nium exercentes aduersus haeredes, sed sic ut sitis ex-
>> emplaria gregis Et cum adparuerit ille pastorū prin-
>> ceps, reportabitis immarcescibilem gloriae coronam.

Quoniam uero nihil tale poterimus absq; diuino pre-
stare auxilio, deum, à quo pastorale munus originem
trahit, iugiter ex animo inuocemus, qui nos ad nomi-
nis sui gloriam & gregis incolumitatem spū-
ritu sancto gubernare dignetur.

Amen.


emo
cite
lius
ffe
mi:
ex
in
m.
ore
em
tia







24
8



Ad Consummationem subsecundis sufficiant octo
xiii annorum. Bl. in vobis. etas. r. p. 20 pp
de vobis. in 5. Rot. dicit. ff 329

Ad Episcopatum etas 30 dicit. de vobis
mista. hant sup. in r. p. 78 dicit
Bl. et ad. in Communi. quibus de vobis
et quilibet. Abb. in r. sup. mandata. 100
de p. d. dicitur. etas. vobis. in abbati
et fabz. Abba. d. r. in vobis. in p. d.
et r. sup. mandata.

Etas annorum et argumentum ad suscipiendum
inducit. in vobis. vobis. in vobis
sup. et ad. dicit. In hys vobis.

August. sup Jo. 10. Opus est caritas, Caritas est veritas
Opus aperit vobis caritatem dicit, Omnia est
vobis Caritas.



Th
1699